REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. PAULUS SCHELLING

IURIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT

PRAEMISSA EST

AUGUSTI LUCHS

EMENDATIONUM LIVIANARUM PARTICULA PRIMA

ERLANGAE

TYPIS JUNGE ET FILII

MDCCCLXXXI

Constantinsfund

T. Liui ab urbe condita libros editurus cum in sermonem eius scriptoris accuratius inquirerem, haud pauca deprehendi nondum recte constituta, ex quibus selecta quaedam tractare conabor.

XXI 60, 1 *Cn. Cornelius Scipio in Hispaniam cum classe et exercitu missus, cum ab ostio Rhodani profectus Pyrenaeosque montes circumuectus Emporiis adpulisset classem, exposito ibi exercitu . . fecit.* In codice Puteano *circumuectus temporis adpulisset* traditur; quod cum aperte deprauatum sit, inde ab editione principe librorum interpolatorum scriptura *Emporiis* propagatur uix probanda, siue ablatiuum siue datiuum esse interpretaris. Nam ablatiui usus nullo altero exemplo confirmatur; datiuum autem qui exhibent loci (XXV 26, 4 *classis litori adpulsa,* XXVIII 36, 10 *naues litori adpulsae,* XXX 10, 3 *naues adpulsae muris*) propter significationis discrepantiam in comparationem uocari nequeunt. Contra ubi urbem uel terram nauigationis terminum esse narratur, id quod illo quoque loco fit, accusatiuus poni solet aut solus aut praepositionibus *ad* uel *in* auctus, cf. IX 38, 2 *classis Romana a P. Cornelio . . in Campaniam acta cum adpulsa Pompeios esset;* XXIIII 38, 3 *cum percunctando inuicem cognitum esset consulem Cumis esse, naues Cumas adpulsae;* cetera exempla collegit Ignatius „de uerborum cum praepositionibus conpositorum .. structura" p. 75. Itaque et XXVIII 42, 3, ubi P similiter corruptus *pacato mari praeter oram Italiae Galliaeque uectus emporis in urbē sociorum classem adpulisti* praebet, recte *Emporias in urbem* iam dudum editur et XXI 60, 2 *Emporias adpulisset classem* restituendum est.

XXII 18, 10 *Haud paruam rem esse ab totiens uictore hoste uinci desisse ab continuis cladibus ac respirasse.* Huius quam P exhibet scripturae unus Alschefskius pro-

pugnator infelix exstitit; ceteri editores inde ab arte typographica inuenta quia uerba *ab continuis cladibus* non cum *desisse* construenda esse intellexerunt nec substantiuum aut uerbum, quod per *ac* ad *cladibus* aut *respirasse* adnexum fuerit, intercidisse uidetur, *ac* expunxerunt et plerique ita quasi compensarunt, ut *et* post *desisse* insererent. Mihi parum perite hic exsecari illic adsui uidetur, ubi facilius reponendo sanari potest: nam ut alibi in P haud raro orationis membra distorta ac turbata esse constat (cf. Maduigium emend. Liu. p. 284 et prolegomena mea ad T. Liui ll. XXVI — XXX p. CX sqq.), ita illo quoque loco corrigendum puto *uinci desisse ac respirasse ab continuis cladibus.*

XXII 19, 1 sqq. sic constituenda esse mihi persuasi: *Principio aestatis, qua haec gerebantur, in Hispania quoque terra marique coeptum bellum est. Hasdrubal ad eum nauium numerum, quem a fratre instructum paratumque acceperat, decem adiectis quadraginta nauium classem Himilconi tradit, atque ita Carthagine profectus naues prope terram, exercitum in litore ducebat.* Pro *adiectis* in P *adiecit* legitur, quod si seruas, et compositio orationis efficitur satis abscisa et sententiae illi *(decem adiecit)* iusto maior uis tribuitur: nec enim apte per enuntiatum primarium indicatur, quod ad rem parui admodum momenti est atque adeo narrationem belli a scriptore propositam incommode interrumperet; qui naues illas adiectas prorsus sine dubio praetermisisset, nisi, cum classem auctiorem, quam ab Hannibale relicta erat, Himilconi tradi commemoraret, qua uia aucta esset, rationem legenti reddere noluisset.

XXII 19, 11 *temptata uerius pugna quam inita in fugam auerterunt classem,* (12) *et cum aduersi amnis os lato agmini et tam multis simul uenientibus haud sane intrabile esset, in litus passim naues egerunt.* Si *tam* incorruptum esset, multos simul uenisse aliquo modo antea indicatum esse deberet, id quod non est factum; cum praeterea pro *tam multis* Liuium potius *tot* dicturum fuisse ueri simillimum sit, *et tum multis simul uenientibus* scribendum conicio, quod quid significet ex his locis intellegitur: XXIII 49, 12 *Iliturgi obsidione liberato ad Intibili oppugnandum Punici exercitus traducti, suppletis copiis ex prouincia, ut quae maxime omnium, belli auida, modo praeda aut merces esset, et tum iuuentute abundante;* XXIV 30, 12 *Hippocrates et Epicydes non tam tutum prima specie quam unum spe undique abscisa consilium esse rati, ut se mili-*

tibus permitterent et adsuetis magna ex parte sibi et tum fama caedis commilitonum accensis, obuiam agmini procedunt; XXVII 14, 9 *haesere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu et tum conferta turba.*

XXII 20, 11, ubi *fuerunt* edi solet, P autem *fuerent* praebet, nescio an *fuere* praeferendum sit similiter ac nunc XXII 1, 2 *uidere* pro *uiderent* P, XXII 45, 8 *tenuere* pro *tenuerent* P, XXII 49, 12 *obruere* pro *obruerent* P scribitur; conferas etiam XXI 49, 7, ubi coniunctiuus imperfecti *intenderent* praue pro infinitiuo positus est, cuius uitii exempla facile plura ex P proferri possunt. Eadem ratione XXII 46, 6 *stetere* pro *steterent* P et XXIII 29, 14 *uidere* pro *uiderent* P restituendum erit, cum adhuc formae in *erunt* exeuntes uulgentur.

XXII 23, 4 *Accesserunt duae res ad augendam inuidiam dictatoris, una fraude ac dolo Hannibalis, quod, cum a perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circa solo aequatis ab uno eo ferrum ignemque et uim omnem hostium abstineri iussit, ut occulti alicuius pacti ea merces uideri posset.* Quoniam enuntiati *uim omnem hostium abstineri iussit* subiectum est Hannibal, *uis hostium* necessario intellegenda est *uis Romanorum*; atqui ne Romani agrum dictatoris uastarent, id certe nec timendum erat nec prohibendum; immo suos Hannibal milites uetuerat in agrum illum eam uim facere, quae ab hostibus urentibus et exscindentibus fieri solet. Itaque cum in P *uim omnium hostium* scriptum sit, non sufficit *omnium* in *omnem* mutare, sed etiam pro *hostium* corrigendum est *hostilem,* quod iam Creuerius rationibus quidem non additis legi iusserat.

XXII 25, 12 *Ne in senatu quidem satis aequis auribus audiebatur, cum hostem uerbis extolleret bienniquee clades per temeritatem atque scientiam ducum acceptas referret.* Pro Puteani scriptura *scientiam*, quam corruptam esse patet, Gronouius ceteris suis codicibus interpolatis nisus *inscientiam* substituit, eiusque auctoritatem ceteri deinceps editores omnes secuti sunt; quamquam quod antea circumferebatur, *inscitiam,* et ipsum in libri optimi mendo latere potest: nam non solum uerba saepe in P alienum locum occupauerunt, sed etiam syllabarum ordo nonnumquam inuersus est ita quidem, ut nouum inde uocabulum interdum effectum sit, uelut XXIII 7, 2 pro *sicilia* in P exaratum est *consilia*, natum ex *cisilia*; similiter *scientiam* ex *sciintiam* et hoc ex *inscitiam*

ortum conicias. Et hanc uocem pro ea, quae nunc edi solet, restituendam esse inde apparet, quod ea sola, non item *inscientia*, et cum *temeritate* coniuncta et in aliis dictionibus a Liuio usurpatur, cf. VI 30, 6 *ab ducibus utrobique proditae temeritate atque inscitia res;* VIII 33, 17 *eos qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent;* XXII 9, 7 *plus neglegentia caerimoniarum auspiciorumque quam temeritate atque inscitia peccatum a C. Flaminio consule esse;* XXVI 2, 7 *multos imperatores temeritate atque inscitia exercitum in locum praecipitem perduxisse;* VII 12, 2 *multorum inscitia, qui aut unde hostes aduenissent;* VII 34, 13 *quaenam illa inscitia belli ac pigritia est?*

XXII 37, 10 *Ab senatu ita responsum regi est: uirum bonum egregiumque socium Hieronem esse* (praecedit § 1 *ab Hierone classis Ostiam . . accessit. legati in senatum introducti nuntiarunt* cet.). Ut nunc sunt uerba constituta, diuersos inter se esse *regem* et *Hieronem* suspiceris necesse est, nam si non essent, simpliciter *eum* pro *Hieronem* dicendum fuit. Cum uero eundem significari constet, aut *Hieronem* corruptum esse sequitur aut pro *regi* nominatos esse homines ab rege Hierone diuersos. Et huius quidem rei indicium in codicis P scriptura exstat: in quo cum *responsum regis est* exaratum sit, non *regi* corrigendum apparet sed *responsum regis legatis est* supplendum. Nec aliis locis similibus Liuius pro legatis alicuius hunc ipsum posuit, cf. XXX 17, 7 *postero die legatos Masinissae in senatum introduxit,* 12 *ad ea responsum legatis;* XXXVI 35, 12 *et Philippi regis legati sub idem tempus in senatum introducti,* 13 *non responsum solum benigne regis legatis est, sed filius quoque Philippi Demetrius* cet.; XXXX 42, 3 *uenerant Romam legati a Gentio,* 5 *C. Claudium praetorem cognoscere neque ante Gentio legatisue eius responsum reddi,* ubi Gentius et legati discernuntur, prout aut Romani legati ad regem mittuntur (cf. § 3 *quo tempore Romani conueniendi regis causa uenissent*) aut legatis regiis Romae responsum redditur; XXI 9, 3 et 11, 2; XXI 19, 6 et 20, 5; XXXI 2, 1 et 2; XXXI 11, 13 et 15; XXXII 8, 9 et 12.

XXII 39, 17 *Ne aduersus te quidem de me gloriabor: Cn. Seruilius atque Atilius proximi consules uide quem ad modum eum ludificati sint.* Non offenderem, si *Cn. Seruilius* traditum esset; sed cum *P. Seruilius* in P uitiose scriptum sit, praenomen rectius omitti mihi uidetur, ut quod nec XXII 42, 11 *Seruilio atque Atilio consulibus* nec XXII 43, 8 additum sit.

XXII 43, 8 *Cum . . Varroni fere omnes, Paulo nemo praeter Seruilium prioris anni consulem adsentiretur, maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas urgente fato profecti sunt.* Vix fieri poterit, quin *ex* (uel *de*) *maioris partis sententia* restituatur: nec enim umquam alias, quantum ego inueni, in ea dictione satis usitata Liuius nudum ablatiuum posuit; cf. XXXVIII 38, 1 *ibi ex decem legatorum sententia foedus in haec uerba fere cum Antiocho conscriptum est;* XXXVIII 60, 3 *C. Fannius ex sua collegarumque aliorum praeter Gracchum sententia pronuntiauit praetori non intercedere tribunos;* IV 53, 7; X 11, 3; X 30, 1; X 44, 1; XXII 9, 11; XXIV 26, 16; XXV 25, 7; XXX 43, 4; XXX 44, 13; XXXVI 5, 2; XXXVI, 36, 2; XL 29, 5; alibi; XXV 7, 1 *Marcellus . . dixit senatui scripturum se omniaque de sententia patrum facturum esse;* II 39, 1; XXV 7, 5; XXVI 14, 9; XXVI 16, 1; XXVI 48, 13; XXXIII 44, 2; XXXVIII 45, 5; alibi; IV 44, 12 *pro collegii sententia.*

XXII 57, 10 *Item ad socios Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt. arma, tela, alia parari iubent et uetera spolia hostium detrahunt templis porticibusque.* (11) *et aliam formam noui dilectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit: octo milia iuuenum ualidorum ex seruitiis, prius sciscitantes singulos, uellentne militare, empta publice armauerunt.* In § 11 aut *aliam* aut *noui* superuacaneum est, quia de noui cuiusdam dilectus forma antea nihil commemoratur. Quare cum in P *et alia formam* scriptum sit, ueri simile est aberrasse oculos librarii, cum *et* exararet, ad praecedentia, ubi mendose *armat et alia parari* traditur; quo errore perspecto in rectam deinde uiam rediit. Expungendum igitur *aliam* esse censeo.

XXII 60, 25 *Cum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt; cum pro uallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neque in acie neque in castris utiles, et uos redimum? cum erumpere e castris oportet, cunctamini ac manetis; cum manere et castra tutari armis necesse est, et castra et arma et uos ipsos traditis hosti. ego non magis istos redimendos, patres conscripti, censeo quam* cet. Pro *tum* in P *cum* exaratum est, quod tollendum potius ex Liuii uerbis existimo ut errore uel repetitum uel anticipatum, quam cum libris interpolatis *tum* substituatur: nec enim aut sententia aut usu loquendi desideratur uel commendatur haec particula et turbat similitudinem enuntiatorum a Liuio sine dubio quaesitam et in sequentibus quoque obser-

uatam. — Deinde *redimamus* pro *redimam* restituendum erit. Manlius enim postquam ignauiam captiuorum illustrauit indignatus interrogat, qua impudentia postulare possint, ut ex captiuitate redimantur; postulaverant autem uidelicet a patribus uniuersis; Manlius nec appellatus erat et postea demum uerbis *ego . . censeo* suam sententiam promit.

XXIII 11, 9 Hiare hoc fere loco sermonem Liuianum insequentis capitis uerba demonstrant. Ibi enim § 13 Hanno, ut ostendat rerum ab Hannibale gestarum magnitudinem, quam Mago extulerit, uehementissime cum eius postulatis discrepare uanamque ac fallacem esse laetitiam et exsultationem factionis Barcinae, ipsis Magonis Hannibalisque uerbis utitur alio sane ordine dispositis leuiterque uariatis: (XXIII 12, 13) *„Occidi exercitus hostium — mittite milites mihi". Quid aliud rogares, si esses victus? „Hostium cepi bina castra" praedae uidelicet plena et commeatuum — „frumentum et pecuniam date". Quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres?* Ipsa forma orationis declarat repetere Hannonem quae antea Mago exposuerat; et hostium quidem occisorum et supplementi frumentique ac pecuniae mittendae mentionem cap. 11, 9 et cap. 12, 5 reperimus; sed castra capta esse cum in Magonis narratione, qualis in P traditur, non commemoretur, supplenda a nobis sunt, quae librariorum demum incuria omissa esse apparet: addas igitur *bina castra expugnasse* uel similia post XXIII 11, 9 *occidisse supra ducenta milia hostium, supra quinquaginta cepisse,* ubi aptissime poni uidentur. — Etiam XXIII 1, 1 nescio an rectius non *castraque* sed *castraque bina* uel *binaque castra* suppleantur, cf. XXIII 5, 6.

XXIII 16, 4 *Instrui deinde utrimque acies coeptae, Romanorum pro moenibus Nolae, Poenorum ante castra sua. proelia hinc parua inter urbem castraque et uario euentu fiebant, quia duces nec prohibere paucos temere prouocantis nec dare signum uniuersae pugnae uolebant.* Creuerius *prouocantis* primus proposuit idemque correctorem libri Medicei effecisse postea cognitum est; P¹ praebet *procantis,* P² *rogantis.* Illud *prouocantis* iam Drakenborchio dubitationem mouisse uidetur, cum posse etiam *procurrentes* conici adnotaret, nec mihi ea, quae Fabrius et Alschefskius de prouocando disputarunt, quosque conferri iusserunt loci suspicionem ademerunt; rectius sine dubio *procursantis* est, cf. XXVII 2, 11 *ibi per dies aliquot, cum ab stationibus procursaretur,*

mixta equitum peditumque tumultuosa magis proelia et ferme omnia Romanis secunda fuere; XXVII 41, 5 *in medio campo ab stationibus procursantes certamina haud satis digna dictu serebant;* III 61, 13; XXII 16, 2; V 19, 9 *a procursationibus, quae multae temere inter murum ac uallum fiebant, edicto, ne quis iniussu pugnaret, ad opus milites traducti;* XXIII 40, 9 *primo castra castris modico interuallo sunt obiecta; dein per procursationes leuia certamina uario euentu inita; postremo descensum in aciem*; XXII 44, 4; XXVIII 33, 3.

XXIII 18, 8 *Inde uineae quoque (a Poenis) coeptae agi cuniculique; nec ad uarios conatus hostium aut uis ulla aut ars deerat. socii Romanorum propugnacula aduersus uineas statuere, transuersis cuniculis hostium cuniculos excipere, et palam et clam coeptis obuiam ire.* Incohauit emendationem huius loci Gronouius, cum *socii* in *sociis* mutaret et cum praecedente enuntiato construeret: *nec .. uis ulla aut ars deerat sociis Romanorum: propugnacula* cet. Quae tamen coniectura, quamquam a Maduigio recepta est, ita tantummodo comprobari posset, si *ulla* non additum esset; adiecto autem eo pronomine cum scriptorem, id quod sequentia confirmant, illud indicare uoluisse pateat, socios Romanorum, ut conatus hostium eluderent, nec uim ullam nec artem inferre et adhibere omisisse, scribendum erat *nec . . uis ulla aut ars deerat ab sociis Romanorum: propugnacula* cet. Similiter Cicero locutus est p. Mil. 36, 100 *tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit.*

XXIII 19, 14 *Cum hostes obarassent quidquid herbidi terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt, ut Hannibal „eone usque, dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum?" exclamaret.* Non solum in codicibus Colbertino et Berolinensi sed etiam in Puteano, id quod Alschefskius enotare neglexit, *nascuntur* traditur, nec leges grammaticae repugnant, quominus indicatiuus recipiatur: cf. Handii Turs. II p. 320 sq. et Kuehneri gramm. lat. II p. 912, ex Liuio autem VIII 7, 7 *uisne igitur, dum dies ista uenit, qua magno conatu exercitus moueatis, interea tu ipse congredi mecum?* XXII 29, 9 *nobis quoniam prima animi ingeniique negata sors est, secundam ac mediam teneamus et, dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus.*

XXIII 19, 15 *Qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione liberorum capitum.* (16) *septunces auri in singulos*

pretium conuenit. fide accepta tradiderunt sese. donec omne aurum persolutum est, in uinculis habiti; tum remissi summa cum fide. id uerius est quam ab equite in abeuntes immisso interfectos. Codex P *remissi cumas* praebet, *remissi summa* Robertus Titius effecit. Sed quomodo Hannibal, cuius id solum interfuit, ut urbe potiretur aurumque acciperet, remisisse summa cum fide captiuos dici potest? nisi forte, id quod nec memoriae proditur nec ullo modo ueri simile est, praesidium eum redeuntibus addidisse arbitramur aut ea condicione redemptionem concessisse, ut ne Romano exercitui se coniungerent sed domum remigrarent; quamquam sic quoque *in patriam* (cf. XXVII 9, 3 et XXVIII 39, 10) uel *domum* (XXIII 15, 8) necessario addendum ad *remissi* fuit. Immo cum Poenus, quo abirent captiui, non curasse putandus sit, pro *remissi* id uerbum flagitatur, quo uincula captiuis dempta ac libertatem redditam esse indicetur: scribas igitur *emissi*, cf. XXI 41, 6 *quos ab Eryce duodeuicenis denariis aestimatos emisistis;* (12) *ad Erycem clausos . . emisimus ex obsidione;* XXIV 47, 8 *nihil praeterea cum consule pacti, quam ut sine fraude Punicum emitteretur praesidium;* (9) *Carthaginiensibus portae patefactae emissique cum fide incolumes ad Hannibalem Salapiam uenerunt;* XXVI 13, 5 *quem ad modum in defectione praesidium, quod poterat emitti, per cruciatum et ad contumeliam necarimus;* VI, 3, 3; IX 42, 7; XXX 17, 14; XXXIV 40, 7; cf. etiam XXII 7, 5; XXII 13, 2; XXII 58, 2.

XXIII 22, 4 *Cum de ea re M. Aemilius praetor, dictatore post Casilinum amissum profecto iam ad exercitum, exposcentibus cunctis rettulisset, tum Sp. Caruilius* cet. In illo ablatiuo absoluto duae sententiae coniunctae et permixtae sunt, una: dictatorem post Casilinum amissum profectum ad exercitum esse, altera: dictatorem tum iam ad exercitum profectum fuisse; quod ferri nequit. Nec licet uerba ita construere, ut sensus euadat, dictatorem iam post Casilinum amissum profectum esse; ita enim praeproperam fuisse eius profectionem indicaretur expectatumque ut etiam diutius in urbe moraretur: uerum satis longum tempus ab exercitu eum afuisse, auspiciorum repetendorum causa Romam profectum (cap. 19, 3), ex praecedente scriptoris narratione cognoscitur (cf. etiam Weissenbornii adnotationem), atque adeo Casilini obsidionem, si prius redisset, uidebatur soluere potuisse. Hinc elucet ad codicem P emendandum, in quo *profecto tam ad exercitum* scriptum est, non recte ex deterioribus libris *iam*

adsumi sed potius corrigendum *profecto tandem ad exercitum*; (XXIII 39, 5 *transgresso Vulturnum Fabio post expiata tandem prodigia*).

XXIV 33, 6 *Itaque si eis, qui ad se perfugerint, tutus in patriam reditus pateat, caedis auctores dedantur et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse; si ea non fiant, quicumque in mora sit, bello persecuturos.* Post *legesque* addendum *suae* esse ex his locis similibus intellegitur: XXIX 21, 7 *Locrensium deinde contionem habuit atque iis libertatem legesque suas populum Romanum senatumque restituere dixit;* XXXVII 32, 14 *urbem agrosque et suas leges iis restituit;* IX 43, 23 *Hernicorum tribus populis, Aletrinati Verulano Ferentinati, quia maluerant quam ciuitatem, suae leges redditae;* XXXIII 34, 6 *Orestis (Macedonum ea gens est), quod primi ab rege defecissent, suae leges redditae;* XXV 28, 3 *cum haud ferme discreparet, quin, quae ubique regum fuissent, Romanorum essent, Siculis cetera cum libertate ac legibus suis seruarentur;* XXVII 21, 8 *Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate ac legibus suis responsum ab senatu est, ut redirent, cum Fabius consul Romam uenisset;* XXXIII 30, 2 *pax data Philippo in has leges est, ut omnes Graecorum ciuitates, quae in Europa quaeque in Asia essent, libertatem ac suas haberent leges;* XXXIV 32, 4; aliis; cf. etiam XXV 8, 8 *congressi cum Hannibale rursus fide sanxerunt liberos Tarentinos leges suas suaque omnia habituros,* ubi *suas* a Wesenbergio demum additum et a Maduigio receptum est.

XXVI 33, 12 *L. Atilius tribunus plebis ex auctoritate senatus plebem in haec uerba rogauit: „Omnes Campani . .,* (13) *de iis rebus quid fieri uelitis, uos rogo, Quirites.“ plebes sic iussit: „Quod senatus iuratus maxima pars censeat, qui adsient, id uolumus iubemusque.“* Inserendum est *iubeatis* post *uelitis,* non modo quia plebes *uolumus iubemusque* respondisse dicitur, uerum quia Liuio, cum ipsa rogationis uerba transcribat, necessario etiam sollemnis dictio *uelitis iubeatis* seruanda erat; cf. Gell. V 19, 9 *eius rogationis uerba haec sunt: „Velitis iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius siet . . haec ita uti dixi, ita uos Quirites rogo“;* Cic. de dom. 30, 80 *si tribuno plebis rogante „Velitis iubeatisne“ Fidulii centum se uelle et iubere dixerint;* alia exempla non pauca, quae nuper a Siegismundo Preuss congesta sunt in libello, qui inscribitur „De bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni“ p. 94.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum nobilissimum et doctissimum

D^r. EUGENIUM LOMMEL

PHYSICAE PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM ORDINIS S. MICHAELIS PRIMAE CLASSIS EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, regis nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXXXI.

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS
P R O R E C T O R
D. EUGENIUS LOMMEL
PHYSICAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS
CUM
PROCANCELLARIO
RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO
SUCCESSOREM SUUM
CIVIBUS ACADEMICIS
COMMENDAT

PRAEMISSA EST
AUGUSTI LUCHS
EMENDATIONUM LIVIANARUM PARTICULA ALTERA

ERLANGAE
TYPIS JUNGE ET FILII
MDCCCLXXXII

Heerwagenus, uir doctrina pariter atque humanitate insignis et de T. Liuio emendando et enarrando optime meritus, cum multis aliis locis deprauatam codicum Liuianorum scripturam correxit tum in hac sententia ubi lateret uitium primus indagauit:

XXI 56, 8 *Itaque nocte insequenti cum praesidium castrorum et quod relicum ex magna parte militum erat ratibus Trebiam traicerent, aut nihil sensere obstrepente pluuia aut . . . sentire se dissimularunt*; etenim cum deesse notionem intellexisset, ad quam uerba *ex magna parte* spectarent, adiectiuum aliquod, uelut *sauciorum*, post *relicum* lacuna haustum esse statuit. Atque de re ipsa posteriores editores omnes uiro egregio adsensi sunt, de forma quidam discreparunt et pro *sauciis* aliud adiectiuum proposuerunt, uelut Woelfflinus *aegrorum*, Frigellius (cf. eius epilegomena ad T. Liuii l. XXI p. 45 sq.) *inualidorum*. Mihi non illud primum quaerendum uidetur, quod addatur adiectiuum, sed solumne addatur adiectiuum an plura uerba. Nam qui solum adiectiuum intercidisse putant, eis, quoniam praesidium castrorum et ipsi erant milites, *quod relicum militum erat* idem significare ac *ceteri milites* interpretandum est, quae tamen interpretatio admitti nequit: nam illa uerba potius *qui supererant* siue *restabant milites* ualent, cf. II 15, 6 *obsidum quod reliquum erat reddidit*; VIII 24, 16 *is finis lacerationi fuit, sepultumque Consentiae quod membrorum reliquum fuit.* Cum uero ei qui reliqui erant milites distinguantur a praesidibus castrorum, necessario, ex qua fortuna quoue casu reliqui essent, quia non per se patebat, diserte indicandum erat. Atque hanc emendandi uiam iam Weissenbornius monstrauit nec tamen ipse ingressus est: adnotauit enim, qui *sauciorum* addere nollet, eum posse *ex magna parte* in *ex*

magna strage mutare, conferrique iussit XXXI 41, 3 *qui superfuerunt e magna clade liberi seruique inter ceteram praedam abducti.* Quamquam *strage* reicitur § 2 sqq., unde alios quoque proelio superfuisse cognoscitur; immo uerba *ex fuga* post *relicum* inserenda esse apparet ex § 5 *qui passim per agros fuga sparsi erant, alii* (hanc uocem addidi) *uestigia cedentis sequentes agminis Placentiam contendere, aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit transgressique in castra peruenerunt.* Scribendum igitur existimo *quod relicum ex fuga sauciorum* (uel *semiermium* uel *inermium*) *ex* (haec uox etiam omitti potest) *magna parte militum erat*, cf. IX 24, 13 *consules prima luce aduenere et quos reliquos fortuna ex nocturna caede ac fuga fecerat, in deditionem accipiunt*; XXXVI 19, 9. Eundem sensum dictione minime probabili Pohleius uidetur efficere uoluisse, quem in commentatione, quam inspicere non potui, *quod relicum sparsorum ex magnu parte militum erat* proposuisse lego.

XXI 57, 13 *Signum repente uictoribus datur, ut tamquam ui captam urbem diriperent, neque ulla, quae in tali re memorabilis scribentibus uideri solet, praetermissa clades est: adeo omnis libidinis crudelitatisque et inhumanae superbiae editum in miseros exemplum est.* Haec etiamsi libri Puteani fide niterentur, uix pro sanis habenda essent; nam cum non eam scriptoris mentem fuisse constet, ut singula uariorum libidinis crudelitatisque generum exempla edita, sed ut communiter omnia, quibuscumque in deditos saeuiri solebat, facinora tum commissa esse memoraret, aut *omnis libidinis . . . edita in miseros exempla sunt* aut *omne libidinis . . . editum in m. exemplum est* dicendum fuit, cf. XLII 8, 5 *deditos in fidem populi Romani omni ultimae crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse*; XXV 31, 9 *cum multa irae multa auaritiae foeda exempla ederentur*; XXXVIII 43, 5 *omnia exempla belli edita in se caedibus incendiis ruinis direptione urbis*; XXIX 9, 12 *quae antea per lubidinem atque auaritiam foeda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere*; XXIX 27, 4. Itaque non dubium esse puto, quin ea quae in P traditur scriptura *omnes* aptius et rectius in *omne* quam cum deteriorum codicum interpolatoribus in *omnis* immutetur.

XXII 34, 9 *Cui non apparere id actum et quaesitum esse, ut interregnum iniretur, ut in patrum potestate comitia essent? id consules ambos ad exercitum morando quaesisse, id postea, quia inuitis is dictator esset dictus comitiorum causa, expugnatum esse,*

ut uitiosus dictator per augures fieret. In duplici ac diuersa rei expugnatae expositione, primum per *id*, quo praecedentia *ut interregnum iniretur* comprehendi eiusdem pronominis repetitio declarat, deinde per illa *ut uitiosus dictator fieret*, iam Heraeus non sine causa offendit. Sed quod *ideo postea* scripsit, ea quae sic euadit sententia cum tribuni consilio parum concinere uidetur, quippe qui nobiles, interregnum ut iniretur, nec aliis artificiis nec ui abstinuisse probaturus sit, cf. etiam § 11 *habere igitur interregnum eos.* Quamobrem *id* intactum relinquam; enuntiato autem illo non quid, sed qua uia interregnum expugnatum sit, notari duco, similiter ac prius membrum *id consules quaesisse* gerundio *ad exercitum morando* auctum et explicatum est, eaque de causa *cum*, non *ut*, *uitiosus dictator . . fieret* genuinum esse.

XXII 59, 11 *Sed et illis bonis ac fortibus militibus utemini et nobis etiam promptioribus pro patria, quod beneficio uestro redempti atque in patriam restituti fuerimus.* Hic est sermo de redemptione ac restitutione non modo sperantium sed firmissime confidentium; nec tamen paulo post eandem fiduciam praeferunt, immo satis demisse ac fere desperanter loquuntur et § 13 *illud etiam in tali consilio animaduertendum uobis censeam p. c., si iam duriores esse uelitis, . . cui nos hosti relicturi sitis* et § 17 *si mediusfidius ipse in nos mitis Hannibal contra naturam suam esse uelit, nihil tamen nobis uita opus esse censeamus, cum indigni ut redimeremur uobis uisi simus* (*sumus* P, conicias *fuerimus*). Sed in illo enuntiato ipsa dictione uitium ostenditur: nam si *quod* antecedit, postea non *fuerimus*, uerum *erimus* sequi exspectes; contra *fuerimus* documento est non *quod* praecessisse, sed *cum*, quo reposito iam et sententia cum condicione captiuorum ceteraque oratione congruit.

XXIII 45, 2 *Non omnes esse in acie; praedantis uagari in agro; sed qui pugnent marcere Campana luxuria uino et scortis omnibusque lustris per totam hiemem confectos.* Alschefskius cum *sed* ineptum esse uidisset, *et* substituit, idque ceteri deinceps editores approbarunt; ego eam quam ille abiecit litteram praecedenti uoci adnectendam et *in agris et qui* ex *in agros ed qui* efficiendum censeo; nam praeterquam quod cap. 44, 8, ubi eadem res narratur, *cohortibus iis quae in agros praedatum exierant* legitur, omnino, ubi multitudo uagari ac palari dicitur, numerus pluralis et accommodatior est et fere unus usitatus, cf. IV 56, 5 *quod . . populabundos in agris uagari Romanos . .*

passi essent; XXIV 1, 4 *multitudinem uagantem in agris*; I 11, 1 *palatos in agris oppressit*; IV 55, 4 *palantes in agris caesos*; X 20, 5 *q̄ui uagos praedatores in agris palantes excipiant*; II 60, 2 *uagari populabundum hostem per agros*; V 44, 5 *uagique per agros palantur*; identidem alibi.

XXIV 12, 4 *Cum cetero exercitu ad lacum Auerni per speciem sacrificandi, re ipsa ut temptaret Puteolos quodque ibi praesidium erat, descendit.* Quamquam iam Gronouius monuerat „Elegantius Put. *quodque ibi praesidii erat.* Sic uoluit enim, nam reuera *praesidi* est", atque ex Beckeri collatione ipse Weissenbornius *praesidi* a P[1] scriptum esse commemorat, quo altera demum manus *u* adsuerit, nihilo minus *praesidium* ex interpolatis codicibus repetitur. Quem autem sola Puteani fides non mouet, is fortasse auctoritati horum locorum concedet: XLIV 20, 5 *et Appium et quod cum eo praesidii sit, in summo periculo esse, nisi propere aut iustus exercitus eo mittatur aut illi inde deducuntur*; XLIV 21, 9 *decem praeterea milia peditum imperata sociis et octingenti equites: id praesidi additum Anicio praeter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus*; XXIII 17, 10 *quingenti Praenestini . . partem urbis . . occupauere, idque praesidi Casilini habebant Romani,* ubi iterum P[2] *praesidium*; XXXI 8, 8.

XXIV 23, 2 *Duos etiam absentes, Sopatrum ac Dinomenen, fecerunt; qui auditis iis, quae Syracusis acta erant, pecuniam regiam, quae in Leontinis erat, Syracusas deuectam quaestoribus ad id ipsum creatis tradiderunt. — auditis iis quae* P[2] *auditiis quae* P[1]. Quoniam P[2] correctiones suas non de libro aliquo integriore et uetustiore quam P[1] deprompsit sed suis ipse cogitationibus interdum parum felicibus adsecutus est, non plus eis auctoritatis quam grammaticorum coniecturis tribuere licet; proficiscendum igitur a primae manus scriptura *auditiis* est, qua non *auditis iis* sed omisso pronomine *auditis* significari inde certum fit, quod P syllabam *is* in extremis uocibus etiam ibi haud raro in *iis* distrahit, ubi pronominis mutilati uestigium agnosci omnino nequit: XXIV 40, 5 *inpositiis*; XXIV 40, 15 *direptiis*; XXIV 45, 3 *proditiis*; XXIV 49, 4 *coniunctiis*; XXV 3, 11 *impositiis*; XXV 13, 12 *relictiis*; XXV 15, 10 *oppositiis*; XXV 32, 8 *adiunctiis*; XXIV 38, 9 *trucidabitiis*; XXIV 45, 3 et XXV 6, 13 *hostiis*; XXIV 47, 2 *angustiis*; XXV 12, 10 *gaudebittiis*; XXV 15, 4 *onustiis*; XXV 25, 13 *multiis*; XXIV 27, 2 *perfugiis*; XXIV 34, 8 *crebriis*; XXIV 38, 8 *fraudiis*; alibi.

Accedit quod in huius modi ablatiuis absolutis pronomen a Liuio addi non solet, uelut XXVIII 31, 1 *auditis quae acta Gadibus erant*; XXIX 7, 6 *icto qui proximus eum forte steterat*; XXXI 22, 3 *perfectis quae Romae agenda fuerant*; XXXVI 43, 3 *omissis quae in Hellesponto agebat*; XXXVII 4, 1; XLII 44, 8; XLIV 27, 13; cf. etiam XXIII, 9, 1.

XXIV 23, 10 *Etiam apud infimae plebis homines crimina serebant in senatum optimatesque: id* (sic Gronouius, *ut* P) *moliri clam eos atque struere, ut Syracusae per speciem reconciliatae societatis in dicione Romanorum sint.* Nescio an propius ad uerum accedamus, si *ut* detruncata una syllaba ex *illut* ortum esse putabimus, qua scriptura etiam alibi, uelut XXIV 45, 5, librario uti placuit, cum praesertim *illud* propter maiorem uim, quae in hoc pronomine inest, etiam sententiae magis conuenire uideatur.

XXIV 36, 3 *Sub idem forte tempus et naues longae quinque et quinquaginta Carthaginiensium cum Bomilcare in magnum portum Syracusas ex alto decurrere, et Romana item classis, triginta quinqueremes, legionem primam Panormi exposuere; uersumque ab Italia bellum — adeo uterque populus in Siciliam intentus fuit — uideri poterat.* Reponas *auersumque*; nam ubi solum unde, non item quo aliquid uertatur, mentio fit, uerbum compositum a Liuio constanter usurpatur, cf. III 50, 15 *qui armati Auentinum obsedissent belloque auerso ab hostibus patriam suam cepissent*; XXVII 25, 14 *in eandem regionem et Hannibal rediit auerso ab Locris bello*; praef. 5; I 28, 5 et 11; II 8, 8; II 45, 5; III 16, 5; III 61, 9; IV 1, 6; IV 17, 4; IV 22, 5; IV 25, 3; IV 56, 3; IV 58, 14; IV 59, 9; alibi saepissime. Idem mendum pridem sublatum est XXII 48, 4 *auersam* (*uersam* P) *adoriuntur Romanam aciem*; XXIV 29, 6 *quia satis eos aduersus populum Romanum concitatos cernebat, auertere* (*uertere* ras. ex *uerteret* P) *etiam ab Syracusanis coepit*; XXV 25, 2 *tumulus est in extrema parte urbis auersus* (*uersus* P) *a mari uiaeque imminens ferenti in agros.*

XXIV 42, 3 *Ceterum haud dubium fuit, quin, nisi ea mora interuenisset, castra eo die Punica capi potuerint.* In P *haut dubia fuit* scriptum est, quod posse ex *haut dubium fuit* deprauatum esse ne ego quidem negabo; sed qui meminerit, quam saepe in P omittendis uocibus peccatum sit, is nescio an malit alteram emendandi rationem inire, quae his locis indicatur: XXI 3, 1 *in Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogatiuam militarem . . . fauor plebis sequeretur*; XXI 36, 4 *haud*

dubia res uisa, quin per inuia circa nec trita antea quamuis longo ambitu circumduceret agmen.

XXIV 44, 8 *Murus ac porta Caietae* (sic Luterbacher 'de prodigiis' p. 28, *portaetactae* P) *et Ariciae etiam Iouis aedis de caelo tacta fuerat.* Primum moneo iniuria uulgo ab editoribus Puteano *fuerant* tradenti fidem non haberi, quippe cuius testimonium confirment XXXII 29, 1 *quod aedes Vulcani Summanique Romae et quod Fregenis murus et porta de caelo tacta erant*; XXXV 21, 4 *Formiis portam murumque de caelo tacta*; XLI 16, 6 *Grauiscis murum portamque de caelo tacta*; XXXIV 4, 10; alibi libri inter se discedunt: XXVII 37, 2 *Minturnis aedem Iouis et lucum Maricae, item Atellae murum et portam de caelo tacta* P *tactam* Σ^3; XXVII 23, 3 *Ostiae murum portamque de caelo tactam* P *tacta esse* V; etiam XXVI 23, 5 *et Anagniae et Fregellis nuntiatum est murum portasque de caelo tacta* (sic P^1, *tactas* P^2) satius est a primae manus scriptura non discedere. Praecedentium autem emendatio ne Luterbacheri quidem probabili sane coniectura absoluta est; nec enim eo consilio *etiam* positum est, ut maius ac terribilius id prodigium quam cetera esse designaretur (nusquam, licet frequenter aedem fulmine ictam narretur, praecipuum ei rei pondus ac momentum tribuitur), uerum *etiam* ualet *quoque*, unde Ariciae iam ante mentionem factam coarguitur. Itaque, nisi tertiae insuper urbis nomen interceptum est, legendum erit *murus ac porta Ariciae et Caietae, et Ariciae etiam Iouis aedis, de caelo tacta fuerant.* Composita autem haec oratio est similiter ac XXX 3, 2 *non ex Sardinia tantum, sicut ante dictum est, sed ex Sicilia quoque et Hispania uestimenta frumentumque, et arma etiam ex Sicilia et omne genus commeatus eo portabantur*; cf. etiam XXVII 11, 2 sq., postquam *ostium lacus* seruari posse Luterbacher l. l. p. 13 sq. exposuit.

XXIV 48, 9 *Cum duobus Romanis rex Numidas legatos in Hispaniam misit* . . . (10) *iisdem mandauit, ut protinus Numidas, qui intra praesidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem pellicerent.* (11) *et Statorius ex multa iuuentute regi pedites conscripsit ordinatosque proxime morem Romanum . . . seruare ordines docuit . ., ut breui rex non equiti magis fideret quam pediti.* In § 11 uox *regi* non solum superuacanea sed etiam molesta est, quia regi eas copias conscribi et ex praecedentibus satis elucet et paulo post eiusdem enuntiati uerbis *ut breui rex* cet. clare pronuntiatur.

Contra accuratius definiatur oportet, quae sit illa iuuentus, ex qua Statorius pedites conscripserit; nam iam in § 10 Numidae commemorantur, quos et ipsos non senes sed iuuenes fuisse patet. His autem, qui inter Carthaginiensium auxilia in Hispania militabant, cum opponantur ei, qui ipsam Numidiam tum colebant, una ad *regi* addita littera scribendum est *ex multa iuuentute regni pedites conscripsit*; de *regno* cf. § 6 *sibi pedites comparandos esse, et ad id multitudine hominum regnum abundare*; XXX 11, 3 *Syphax . . ita uiris equisque abundabat, ut subiectae oculis regni per multos florentis annos uires . . spiritus possent facere.*

XXV 6, 19 *Neque ignominiae finem nec uirtutis praemium petimus; modo experiri animum et uirtutem exercere liceat; laborem et periculum petimus, ut uirorum, ut militum officio fungamur.* Cum datiuus ad notandum eum, cui animum experiri liceat, adscriptus non sit, ei ipsi, qui illa apud Marcellum loquuntur, intellegendi sunt, milites post pugnam Cannensem in Siciliam relegati. Experimur autem eam rem, cuius aut nullam aut non certam notitiam habemus. Quodsi illi rogant, ut animum experiri sibi liceat, hac orationis forma plane declarant non constare sibi, satisne animi habeant. Quod quam uehementer ab eorum consilio abhorreat, apertum est; eiusmodi enim militibus, qui sibi ipsi diffidebant, senatus suo iure decreuerat rem publicam committendam non esse: atqui hanc ipsam ignominiam illi deprecantur negantes merito se ignauiae aut pauoris insimulari; cuius rei ut omnem possint eximere dubitationem, orant, ut senatus et Marcellus, non ipsi, animum suum experiantur, similiterque paulo post rogant § 22 *uis tu mari, uis terra, uis acie, uis urbibus oppugnandis experiri uirtutem?* Hinc apparere puto *liceat* absurdum esse et *libeat* corrigendum; cf. locum simillimum XXVII 13, 8, ubi postquam Marcellus militibus ignauiam exprobrauit, *clamor inde ortus, ut ueniam eius diei daret, ubi uellet deinde experiretur militum suorum animos. „ego uero experiar", inquit „milites, et uos crastino die in aciem educam, ut uictores potius quam uicti ueniam impetretis, quam petitis"*; cf. etiam XXXIV 13, 3 *et exercebat ea res nouos milites et hostium magna uis excipiebatur; . . ubi satis ad hunc modum et suorum et hostium animos est expertus, . . „tempus" inquit „quod saepe optastis uenit, quo uobis potestas fieret uirtutem uestram ostendendi"*; XXIII 45, 9 *Romam uos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua iactabatis: en in minore re ex-*

periri uim uirtutemque uolo; XXV 38, 11 *nunc, quia tantum ausi estis sponte uestra, experiri libet, quantum audeatis duce uestro auctore.*

XXV 6, 23 *Asperrima quaeque ad laborem periculumque deposcimus, ut, quod ad Cannas faciundum fuit, quam primum fiat, quoniam, quidquid postea uiximus, id omne destinatum ignominiae est.* Perfectum *uiximus* eis conueniret, quibus id quod postea h. e. post pugnam Cannensem uixerunt tempus simul cum ignominia ad certum quendam finem durauerat et tum certe peractum fuit; uerum illi ea ipsa oratione ut moriendi ignominiaeque finiendae occasio sibi praebeatur postulant. Itaque cum non ad praeteritum tantum tempus sed etiam ad praesens futurumque ignominiosa uita pertineat, proprie dicendum fuit *quidquid postea uiximus uiuimus uiuemusque*; cui omnium temporum plenae enumerationi ubi unius temporis mentio substituitur, nec perfectum *uiximus* nec futurum *uixerimus* locum habere constat, sed praesens *uiuimus.*

XXV 14, 8 *Iam et consul ad conspectum transgredientium uallum mutato consilio ab reuocandoque* (sic P) *ad incitandos hortandosque uersus milites ostendere, in quanto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorum et ciuium legio esset.* Weissenbornius suppleuerat *reuocando restandoque* uel *remorandoque* collato II 45, 7 *aduersando remorandoque*; nuper Mauritius Mueller *resistendo reuocandoque* maluit, quia eadem uerba etiam XXXVII 32, 12 copulata essent. Sed quod uno loco idoneum est, non continuo in alterum quadrat: saltem qui illas narrationes examinauerit et inter se comparauerit, facile concedet diuersas fuisse ducum condiciones nec apte dici posse XXV 14, 8 consulem aut remoratum esse aut restitisse. Aut igitur illud *que* praue inculcatum esse arbitrabimur aut ex § 3 *cum iam receptui caneret* et ex simillimae rei descriptione X 42, 1 *haec primo ignorare* (sc. partem muri occupatam) *consul et intentus recipiendo exercitui esse* adsumemus *recipiendo*, cf. etiam XXI 49, 12, alibi; minus probabile est *reducendo* ex § 2.

XXV 23, 1 *Cum maxume Capua circumuallaretur, Syracusarum oppugnatio ad finem uenit, praeterquam ui ac uirtute ducis exercitusque intestina etiam proditione adiuta.* In extremo hoc enuntiato *adiuuante* corrigatur necesse est. Nec enim oppugnatio proditione adiuta est, sed uis ac uirtus ducis exercitusque Romani oppugnantis; nec ut oppugnarentur Syracusae adiuuit seditio, sed ut oppugnatio ad finem ueniret.

His de causis cum ipsa dictio *adiutam oppugnationem esse* ab illa sententia aliena sit, etiam forma inepta ac uitiosa est. Nam praeterquam quod perfectum participii suspicionem mouet, constructio quoque eo intricatur et impeditur, quod *ui ac uirtute* ablatiuos, postquam instrumentales esse putasti, quibus maxime rebus oppugnatio ad finem uenerit, indicantes — haec enim interpretatio prima legenti se offert —, deinde subito cum *adiuta* coniungere iuberis. Haec incommoda ut *adiuta* corruptum esse demonstrant ita, si *adiuuante* scripseris, omnia sanantur.

XXV 23, 6 *Seruus unus exsulum pro transfuga intromissus in urbem conuentis paucis initium conloquendi de tali re fecit. deinde in piscatoria quidam naue retibus operti circumuectique ita ad castra Romana conlocutique cum transfugis, et iidem saepius eodem modo et alii atque alii; postremo ad octoginta facti.* In P a prima manu errore satis frequenti pars orationis bis scripta est hoc modo: *dein pistoria quidam naue retinentibus operti circumuestique ita ad castra romana conlocutique ita ad castra romana conlocuti* (ex *conlocui* a P[1] corr.) *cum transfugis et idem saepius* cet.; altera deinde manus uerba *ita ad castra romana conlocuti* posteriore loco expunxit, unde factum est, ut in editionibus omnibus *conlocutique cum transfugis* uulgaretur. Quod recte se haberet, si in P[1] etiam secundo loco, ubi post repetitionem recta rursus uia librarius incedere pergit, *conlocutique* exaratum esset: nunc cum ibi coniunctio omissa sit, a nobis quoque *conlocuti cum transfugis* pro genuina dictione habeatur necesse est. Praeter hoc codicis testimonium alterum, quo coniunctio refellatur, argumentum insequenti sententia continetur, ubi uerba *eodem modo* non sola uerba finita (*operti circumuectique conlocutique*) praecessisse conuincunt, sed praeter uerbum finitum (*conlocuti*) etiam participia (*operti circumuectique*); alioqui enim non esset, quo *eodem modo* referretur. Simile mendum Maduigius sustulit XXIV 30, 14, ubi *orare ut reciperent sese ut reciperent sese receptos tutarentur* P[1]; *t reciperent sese* posteriore loco induxit P[2], unde uulgo *orare, ut reciperent sese, ut receptos tutarentur* edebatur; Maduigius alterum *ut* tollendum intellexit.

XXV 24, 7 *Sub lucem hexapylo effracto Marcellus omnibus copiis urbem ingressus excitauit conuertitque omnes ad arma capienda opemque, si quam possent, iam captae prope urbi ferendam.* Absolute *opem ferre* dici solet nec addito pronomine aut adiec-

tiuo certum quoddam opis genus definiri; in illa certe sententia eiusmodi definitio incommodissima est; demas igitur de *quam* litteram ultimam, quam librarius adiecit, cum hanc uocem ad substantiuum praecedens referri opinaretur; cf. XXXV 14, 3 *ut animum eius temptaret et, si qua posset, metum demeret periculi quidquam ei ab Romanis esse*; IX 35, 1 *Fabio imis montibus ducenti ad ferendam opem sociis temptandasque munitiones, si qua posset, acies hostium instructa occurrit*; IX 31, 6 *eo curae sunt intentae, ut insidiis quaereretur locus, si qua licentia populandi effusus exercitus excipi ac circumueniri posset*; III 5, 2; VIII 22, 9; XXIX 15, 7; alibi.

XXV 35, 5 *Quonam modo enim Hasdrubalem ac Magonem, nisi defunctos suo bello, sine certamine adducere exercitum potuisse?* Numerus pluralis *exercitus* postulatur, nam et Hasdrubal et Mago suum proprium exercitum habebat, cf. XXV 32, 4 *hostium tres exercitus erant: Hasdrubal Gisgonis filius et Mago . . aberant, propior erat Hamilcaris filius Hasdrubal*; XXV 36, 4 *postquam toto agmine tres imperatores cum tribus iustis exercitibus aderant*; XXV 37, 18 *si se rursus tres exercitus ac tres duces iunxissent*; XXV 38, 19 *unus exercitus in propinquo est, duo haud procul absunt . . . tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus hostium?*

XXV 37, 1 *Cum deleti exercitus amissaeque Hispaniae uiderentur, uir unus res perditas restituit.* (2) *erat in exercitu L. Marcius Septimi filius, eques Romanus, impiger iuuenis animique et ingenii aliquanto quam pro fortuna, in qua erat natus, maioris.* (3) *ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina, sub qua per tot annos omnes militiae artes edoctus fuerat.* (4) *is et ex fuga collectis militibus et quibusdam de praesidiis deductis haud contemnendum exercitum fecerat iunxeratque cum Ti. Fonteio P. Scipionis legato.* In § 4 *is* in P non exstat; olim *hic* addebatur, Weissenbornius *is* substituit. Sed non solum *is* uerum etiam *tum* et praeterea fortasse *Marcius* uel *L. Marcius* ut suppleamus, his locis ab omni parte similibus commonemur: XXV 18, 3 *restituit tamen his animos et illis minuit audaciam parua una res. . . T. Quinctio Crispino Badius Campanus hospes erat perfamiliari hospitio iunctus. creuerat consuetudo, quod aeger Romae apud Crispinum Badius ante defectionem Campanam liberaliter comiterque curatus fuerat. is tum Badius progressus ante stationes, quae pro porta stabant, uocari Crispinum iussit*; XXV 34 1 *per eosdem dies P. Scipionem par terror, periculum*

maius ab nouo hoste urgebat. Masinissa erat iuuenis, eo tempore socius Carthaginiensium, quem (haec uox mihi suspecta est) *deinde clarum potentemque Romana fecit amicitia. is tum cum equitatu Numidarum et aduenienti P. Scipioni occurrit et deinde adsidue dies noctesque infestus aderat*; I 7, 9; I 56, 9; V 3, 1; XXIII 8, 4; XXIII 46, 13, ubi *hunc taurea* P, *tunc Taurea* Walchius, scribendum autem *is tunc Taurea.* — In § 2, ubi *erat exercitu* omissa praepositione in P traditur, nescio an melius *erat in Cn. Scipionis exercitu* suppleatur; nec enim *in exercitu* nude positum sententiae ac descriptioni sufficere uidetur. — Eandem quam supra addidi uocem *tum* inserendam puto etiam XXII 50, 5 *eam sententiam alii totam aspernari . . . aliis non tam sententia displicere quam animus deesse. tum* (om. P) *P. Sempronius Tuditanus tribunus militum „Capi ergo mauultis“ inquit* cet.; Tuditani enim oratione cum consultatio et disceptatio non modo incidatur sed ad finem perducatur, illud aduerbium uix abesse poterit.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum nobilissimum et summe venerandum

D. REINHOLDUM FRANK

THEOLOGIAE PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM ORDINIS S. MICHAELIS PRIMAE CLASSIS EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, regis nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXXXII.

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. EDUARDUS HOELDER

IURIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT

PRAEMISSA EST

AUGUSTI LUCHS

EMENDATIONUM LIVIANARUM PARTICULA TERTIA

ERLANGAE
TYPIS JUNGE ET FILII
MDCCCLXXXVII

Quae hac commentatione continentur emendationes, ex eis quaedam per litteras a me cum Antonio Zingerle, amico candidissimo, communicatae ab eoque in editionem, quam curauit, receptae sunt. Vt causas explicarem, quibus sententiae meae niterentur, eas hic repetere nouisque admiscere placebat.

XXI 10, 12 post legatorum Romanorum Carthaginem aduentum Mago in senatu dicit *nec dedendum solum ad piaculum rupti foederis* (sc. Hannibalem), *sed si nemo deposcat, deuehendum in ultimas maris terrarumque oras.* In codicibus MC, quorum fide in priore parte libri uicesimi primi, quia P periit, recensio nititur, non *deposcat,* sed *deposcit* traditum est; sed cum indicatiuum admitti non posse pateat, uulgatae scripturae *deposcat* quasi confirmatio eo suppeditari uidetur, quod pro insequenti uerbo *deuehendum* in C *aduehendum* scriptum est, ut conicias *a* corrigendi causa olim supra *deposcit* additum postea falso loco insertum et ita *aduehendum* effectum esse. Quod artificium etsi alibi recte et cum fructu adhibitum est, tamen ex illo loco ipsa sententia legibusque grammaticis excluditur. Neque enim illud enuntiatum ex eo genere est, ubi liberum est fingenti, utrum rem iam antea aliquando factam cogitet an futuro demum tempore fortasse euenturam; nec omnino de re ficta Mago uerba facit, sed spectat ad postulationem senatus Romani a legatis tum ad Carthaginienses delatam, ut Hannibal dederetur; nam XXI 6, 8 narrat Liuius: *legati* (Romani) *missi Saguntum ad Hannibalem atque inde Carthaginem, si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum*; XXI 10, 6 idem ille Mago dicit: (legati Romani) *auctorem culpae et reum criminis deposcunt,* 11 *dedemus ergo Hannibalem?* et 13 (legati Carthaginienses) *ipsum Hannibalem ex foedere Romanis dedant*; XXI 18, 4 ex Carthaginiensibus unus *praeceps uestra,* inquit, *Romani, et prior legatio fuit, cum*

Hannibalem tamquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis. Quodsi corruptum illud *deposcit* ad rem tum, cum Mago uerba fecit, praeteritam spectare apparet, rectius sine dubio quam *deposcat* restituitur *deposceret.*

XXI 20, 9 in P a prima manu praue scriptum est *ita peragratis hispania gallia populisq. legati romam redeunt*, unde altera manus effecit *ita peragratis hispaniae et galliae populis legati romam redeunt*, idque uulgo editur. Sed cum correctionibus a P² factis, quia non e codice sumptae sed ex ipsius librarii ingenio profectae sunt, non plus auctoritatis tribuendum sit, quam aliorum grammaticorum coniecturis, eas, quae probabilitate carent, sine ulla dubitatione abicere licet. Atque in illo loco restituendo propius ad uerum accedemus, si aut, ceteris seruatis, *populis* tamquam insitiuum tollimus, ut restet *peragratis hispania galliaque,* quod tamen minus commendauerim, aut ipsam coniunctionem in P¹ traditam suo loco reponimus potius quam cum P² eam deleamus alteramque asciscamus: *peragratis hispaniae galliaeque populis.* Eadem coniunctione praue traiecta in P legitur XXIV 30, 14 *armatorum habituque* pro *armorumque habitu*; cf. etiam quae infra de XXII 12, 10 exponam.

XXI 34, 5 *ipse post cum robore peditum circumspectans sollicitusque omnia incedebat.* Quia accusatiuus *omnia* cum adiectiuo *sollicitus* coniungi nequit, Maduigius, ut *omnia* ad *circumspectans* referretur, cum ueteribus editionibus omissa coniunctione *circumspectans sollicitus omnia* scripsit, eodemque consilio Woelfflinus maluit transponere *circumspectans omnia sollicitusque.* Etiam tertiam emendandi rationem, quam duabus illis praestare puto, inire licet, ut *ad* ante *omnia* suppleatur; ita enim Liuius etiam V 47, 3 locutus est: *ut ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent*; cf. praeterea XXXV 14, 4 *ut uilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret,* XXXI 21, 9 *duos legatos . . habebat, cum quibus circumspicere et obire ad omnis hostium subitos conatus posset,* et quae Weissenbornius ad XXIV 32, 3 *quamquam inflati uano nuntio erant, tamen ad propius praesentiusque malum cautiores esse* adnotauit.

XXI 34, 8 *dum cunctatur Hannibal demittere agmen in angustias, quia non, ut ipse equitibus praesidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat, occursantes per obliqua montani interrupto medio agmine uiam insedere.* Verbo *reliquerat*

in falsam opinionem adducimur, quasi Hannibal, dum equitibus praesidio esse studet, negligenter ac temere peditibus omne ab tergo auxilium detraxerit. Quod aliter se habere, ex § 5 cognoscitur, ubi de agminis ordine haec Liuius commemorat: *primum agmen elephanti et equites erant, ipse post cum robore peditum circumspectans sollicitusque ad omnia incedebat.* Hinc docemur, non copiis quibusdam ab equitibus et peditibus diuersis Hannibalem alteri exercitus parti praesidio fuisse, alteri non item, sed illud *ipse* in § 8 idem significare atque *pedites*, quibus ipse Hannibal, non alius dux praefuerit; ut iam dicatur, equitibus quidem, quia priores incedebant, pedites praesidio fuisse, peditibus autem, quia agmen claudebant, nihil ab tergo auxilii superfuisse. Ex hac vocis *ipse* significatione apparet, quam praue *ipse reliquerat* dictum sit; nec omnino, si *ipse* ad alteram quoque sententiam refertur, duorum orationis membrorum oppositio clare perspicitur. Leuissima mutatione uitium tollitur: ex *reliquerat* facias *reliqui erat* uel cum Lipsio *reliquum erat*; de constructione autem *non . . . peditibus quicquam ab tergo auxilii reliqui erat* conferas XXII 40, 8 *non solum enim nihil ex raptis in diem commeatibus superabat, sed ne unde raperet quidem quicquam reliqui erat,* ubi in P iterum praue *reliquerat* scriptum est; XXXII 13, 7 *nec, quod ab hoste crudelius pati possent, reliqui quicquam fuit*; XXXVII 23, 11 *extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat*; XL 12, 5 *perfugium sibi nusquam gentium esse ait, ut ego ne apud te quidem spei quicquam reliquae habeam*; XXXVI 35, 4; XXVI 35, 5; VII 35, 8.

XXI 52, 6 *Galli . . . auxilium Romanorum terrae ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti orant.* (7) *Cornelio nec causa nec tempus agendae rei placebat, suspectaque ei gens erat cum ob infida multa facinora tum, ut alia uetustate obsoleuissent, ob recentem Boiorum perfidiam;* (8) *Sempronius contra continendis in fide sociis maximum uinculum esse primos qui eguissent ope defensos censebat.* (9) *tum collega cunctante equitatum suum mille peditum iaculatoribus ferme admixtis ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit.* In § 9 pro Puteani scriptura *cũ collegam cunctantẽ* inde a uetustissimis editionibus *tum collega cunctante* uulgabatur, donec nuper Maduigius em. L. p. 275 Vssingium secutus *tum* omitti iussit, quia incommoda temporis notatio esset. Sed hanc notationem temporis minime esse incommodam atque adeo usui Liuiano optime conuenire demonstratur exemplis, quae in altera emendationum Liuia-

narum particula p. 12 sq. exscripsi; quibus simul illud ostenditur, addito *is* pronomine scribendum esse *is tum collega cunctante*; nam cum collegae mentio et insequatur et praecedat, ad contrarium significandum necessario *is* pronomen ponendum erat; cf. XXV 40, 12 *id ambo aegre passi duces, magis Hanno, iam ante anxius gloria eius: Muttinem sibi modum facere, degenerem Afrum imperatori Carthaginiensi, misso ab senatu populoque. is perpulit cunctantem Epicyden, ut transgressi flumen in aciem exirent*; XXXI 10, 5 *L. Furius Purpurio tum prouinciae praeerat, cetero ex senatus consulto exercitu dimisso praeter quinque milia socium ac Latini nominis; cum iis copiis in proxima regione prouinciae circa Ariminum substiterat. is tum senatui scripsit, quo in tumultu prouincia esset.*

XXI 55, 2 *Baliares locat ante signa leuem armaturam, octo ferme milia hominum, dein grauiorem armis peditem, quod uirium quod roboris erat.* Qui *leuem armaturam* explicandi causa ad *Baliares* addita esse opinantur, eos non solum Polybius, ex quo haec sumpta sunt, refellit, qui III 72, 7 *τοὺς λογχοφόρους καὶ Βαλιαρεῖς ὄντας εἰς ὀκτακισχιλίους* commemorat, sed ipse Liuius § 5 *proelium a Baliaribus ortum est; quibus cum maiore robore legiones obsisterent, diducta propere in cornua leuis armatura est* aperte indicat non ex solis Baliaribus leuem armaturam constitisse; nam quod §§ 6 et 9 uni Baliares nominantur, id breuitatis causa factum est. Itaque duce Polybio alii *ac leuem* alii *leuemque armaturam* ediderunt; probabilius *ceteramque leuem* uel *leuemque aliam armaturam* restituendum esse ex his locis concluseris: XXII 4, 3 *Baliares ceteramque leuem armaturam post montis circumducit*; XXII 45, 7 *iaculatores cum ceteris leuium armorum auxiliis prima acies facta*; XXII 46, 1 *Baliaribus leuique alia armatura praemissa*; XXV 34, 13 *ad erumpendum inter Numidas leuiumque armorum alia auxilia.*

XXI 56, 9 *tacito agmine ab Scipione consule exercitus Placentiam est perductus, inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur.* Solere etiam a Liuio traiciendi uerbo in actiuo accusatiuum, in passiuo nominatiuum fluuii adiungi, cum alia exempla docent tum haec: XXI 23, 1 *Hiberum copias traiecit*; XXI 56, 8 *cum ratibus Trebiam traicerent*; XXII 39, 14 *partem uix tertiam exercitus eius habet, quem Hiberum amnem traiecit*; XXIV 41, 2 *traducto exercitu Hiberum*;

XXVI 42, 1 *ceteras omnes copias Hiberum traiecit*; XXXII 30, 1 *Boiorum exercitus haud ita multo ante traiecerat Padum*; XXI 30, 5 *postquam cernant Rhodanum traiectum*; V 35, 2 *Pado ratibus traiecto non Etruscos modo sed etiam Vmbros agro pellunt*; XXI 27, 3 *iubet quam occultissime traiecto amni circumducere agmen*; XXIII 14, 13 *Caiatiam petit atque inde Volturno amni traiecto Nolam peruenit*; XXXI 10, 3 *traiecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt*; XXXIII 36, 9 *Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem legiones ducit*; XXXIII 37, 6 *quos non adepti, Pado repente nauibus traiecto Laeuos cum peruastassent*; XXXVII 38, 3 *tumultuose amni traiecto in stationes impetum fecerunt.* Ablatiuum in illo, unde profectus sum, loco ut defenderet, Fabrius laudauit XXII 31, 7 *ipse per Siciliam pedibus profectus freto in Italiam traiecit*, XXXV 48, 3 *equitum innumerabilem uim traici Hellesponto in Europam*, XXXVII 13, 6 *Romanae naues uacuo ab hostibus mari Samum traiecerunt*, XXXVII 14, 2 *Aegaeo mari traiecit Chium*; ex his tertium exemplum prorsus alius generis esse facile intellegitur; ceteris autem si demonstrari putauit, ablatiuo ad uerbum traiciendi adiuncto eundem atque accusatiuo sensum significari, falsus est Nam in accusatiuo uel nominatiuo id ipsum ponitur, quod traicitur; ablatiuo autem uiam indicari, qua quis ab uno loco in alterum transit, inde cognoscitur, quod pro nudo ablatiuo etiam *per* cum acc. usurpatur; cf. XXIV 1, 11 *alias a Messana traicientes freto Regium naues conspexerunt*; XXVIII 2, 16 *antequam freto Gadis traiceret*; XXVIII 30, 3 *Laelius interim freto in Oceanum euectus ad Carteiam classe accessit*; XXXVI 42, 2 *Siciliam inde petit fretoque Messanam praeteruectus . . altum petit*; XXVII 29, 9 *Achaeis auxilium tulit, quos Aetoli nauibus per fretum, quod Naupactum et Patras interfluit, exercitu traiecto depopulati erant.* Atque his et aliis locis id, quod traicitur, non nominatur; potest tamen etiam nominari, ut iam accusatiuus et ablatiuus coniungantur, id quod maximum documentum est non eandem notionem eis casibus indicari: XXI 5, 9 *amnem uado traiecit*; XXXVIII 12, 9 *quia uado superari amnis non poterat*; XXVII 47, 9 *per uada nota Metaurum flumen tranauit*; XXI 38, 6 *miror ambigi, quanam Alpis transierit, et uulgo credere Poenino transgressum, Coelium per Cremonis iugum dicere transisse.* Itaque ablatiuus tantummodo usurpari potuit, ubi pars maioris et latioris loci commemoratur simulque certa quaedam uia, qua is locus traicitur; uiae autem

mentio ita demum apta est, si plures uiae eodem ferentes patent. Hinc elucet recte dici *freto, Hellesponto traicere,* quia aliis quoque uiis uel maribus ex Sicilia in Italiam, ex Asia in Europam transiri potest; sed prorsus diuersum est XXI 56, 9 *Pado traiectus,* nam qui in regione cispadana circa Placentiam est, potestne in transpadanam ad urbem Cremonam aliter peruenire quam Padum traiciendo? Alia uia cum nulla sit, uiae significatio omnino aliena est. Aut igitur *Pado traiecto* scribendum, quod iam Gebhardi Palat. sec. restituit, aut *Padum traiectus* ita, ut non *est* suppleatur, sed *Cremonam* ab *est perductus* dependeat.

XXI 57, 3 *Ita territis Sempronius consul aduenit, ingenti periculo per effusos passim ad praedandum hostium equites audacia magis quam consilio aut spe fallendi resistendiue, si non falleret, transgressus. id quod unum maxime in praesentia desiderabatur, comitiis consularibus habitis in hiberna rediit.* — Ad haec Frigellius adnotat: „*Id quod,* cum ad parenthesin pertineat, non recte enuntiatum incipere iam diu intelligitur. Arbitratu suo Maduig nuper *Is, quod* scripsit. At male cohaerent ista: 'Ita territis Sempronius consul aduenit, ingenti periculo — transgressus. Is — in hiberna rediit'. Consultius faciunt, qui monitu Friderici Haasii ad scholia Reisigii § 206 n. 364 post *aduenit* punctum ponunt, incisum autem ante *id quod,* ita ut additis illis 'Ingenti periculo — transgressus' reditus Sempronii describatur, et *transgressus* idem sit quod postquam hostes peruasit.“ Sed hac, quam Frigellius commendauit, sermonis distinctione mira temporis ordinisque rerum perturbatio atque inuersio efficeretur: nam si illis *ingenti periculo . . . transgressus* ipse consulis reditus describi coeptus est, qua ratione mox inseruntur, quae iam ante eum reditum facta esse dicuntur? nonne haec priore loco ponenda erant? Itaque prauissimam illa interpunctione coniunctionem effici recte Maduigius dixit uerbaque *ingenti periculo . . . transgressus* summo iure rursus praecedenti enuntiato adiunxit; accedit quod pericula, quibus consulis aduentum non minus quam reditum impeditum fuisse apparet, aptius in aduentu quam in reditu describendo commemorantur. Nec tamen — quoniam *id quod* praue in initio enuntiati poni constat — emendatio Maduigii *is quod* probabilis est; immo *inde* potius pro *id* restituendum erat, quod quam frequenter Liuius ad coniungenda enuntiata usurpet, Maur. Mueller annal. philol. CXXIII (1881) p. 680 denuo commonuit.

XXI 57, 12 *cum ex altera parte nihil praeter inconditam turbam esset, in altera et dux militi et duci miles fidens, ad triginta quinque milia hominum a paucis fusa.* Cum ipsum contrarium tum *et — et* particulae, quas ipsis eis, qui inter se opponuntur, praemitti par est, suadent, ut cum codice quodam recenti, Louel. 3. Drakenborchii, uerba sic traiciantur: *et dux militi et miles duci fidens*; cf. VIII 30, 6 *non dux militi, non miles duci defuit*; X 18, 6 *iam prope erat, ut nec duci milites nec militibus dux satis fideret*; X 40, 3 *dux militum, miles ducis ardorem spectabat*; XXIV 1, 13 *ut Poenus Locrensem Locrensisque Poenum pace ac bello iuuaret*; XXXIV 28, 4 *peditibus equites, equitibus pedites uocantibus.*

XXII 10, 6 in uerbis, quibus ueris sacri uota nuncupantur, *si nocte siue luce, si seruus siue liber faxit, probe factum esto; si antidea senatus populusque iusserit fieri ac faxitur, eo populus solutus liber esto*, recte perspectum est post *antidea* deesse coniunctionem, ante *faxitur* autem *ac* superuacaneum esse; sed quod hoc ipsum *ac* post *antidea* transponendum putarunt et *si antidea, ac senatus populusque iusserit fieri, faxitur* ediderunt, id nullo modo probari potest: nam nec alibi usquam *antidea* (uel *antea* uel *ante*) *ac* dictum est et maxime a sollemni pontificum oratione haec nouatio abhorret. Nam eiusmodi explicationibus, qualem Weissenbornius adscripsit "*ac* = *quam*, wie nach *aeque*, *iuxta* u. a., weil auch *ante* den Begriff der Vergleichung enthält", nihil prorsus demonstrari apparet. Itaque *ac* quidem ante *faxitur* tollatur, sed post *antidea* non *ac* sed *quam* addatur.

XXII 12, 10 *neque uniuerso periculo summa rerum committebatur, et parua momenta leuium certaminum ex tuto coeptorum finitimo receptu adsuefaciebant territum pristinis cladibus militem minus iam tandem aut uirtutis aut fortunae paenitere suae.* Pro *finitimo receptu* in P *finitimorum receptum quae* traduntur. In uulgata lectione ad *ex tuto coeptorum* appositionis causa *finitimo receptu* addita esse putanda sunt, quibus explanaretur, cur certamina possent ex tuto coepta uocari. Atqui certamina, quae ipsa ex tuto coepta sunt, diuersa esse apparet ab eorum genere, ex quibus receptus quidem finitimus est, ipsa autem non necessario ex tuto sunt commissa. Quodsi duo certaminum genera significantur, coniunctio desideratur; et traditur ea in Puteani scriptura *finitimorum receptum quae,* nisi quod uerba peruerse traiecta sunt: reponas igitur *finiti-*

moque receptu (uel *receptuque finitimo*); cf. supra ad XXI 20, 9. Ad uulgatam lectionem defendendam noli comparare XXIII 43, 7 *explorato cum firmisque praesidiis, tuto receptu, praedatum ierat,* quippe ubi *tuto receptu* reuera appositionis causa addita sint: nam ipsis firmis praesidiis tutus receptus efficitur, quo praedantes refugiant, item ut XXXI 2, 7 *ad demetenda frumenta profectus neque explorato circa nec stationibus satis firmis, quae armatae inermis atque operi intentos tutarentur, positis.*

XXII 30, 8 *Pari gloria* (Fabius) *apud Hannibalem hostesque Poenos erat, ac tum demum sentire cum Romanis atque in Italia bellum esse; nam biennio ante adeo et duces Romanos et milites spreuerant, ut uix cum eadem gente bellum esse crederent, cuius terribilem famam a patribus accepissent; Hannibalem quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt tandem eam nubem, quae sedere in iugis montium solita sit, cum procella imbrem dedisse.* Quia Hannibal paulo ante nominatus est et ea, quae praecedunt, etiam de Hannibale dicta sunt, non potest *quoque* recte se habere, quippe qua uoce Hannibal eis, qui antea commemorati sunt, et opponeretur et adderetur, in quibus tamen ipse fuit. Immo cum ad ea, quae de Hannibale hostibusque Poenis narrata sunt, iam noui aliquid de solo Hannibale adiungatur, *Hannibalem quoque* in *Hannibalemque* mutandum est. Eodem mendo in P XXII 26, 3 *quaestura quoque* pro *quaesturaque* scriptum est, XXVI 24, 16 *philippum quoque* pro *philippumque*, XXVII 15, 5 *apparatu quoque* pro *apparatuque*; alia exempla collegit Frigellius ad XXII 26, 3.

XXII 38, 12 *temeritatem, praeterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse. id sua sponte apparebat tuta celeribus consiliis praepositurum, et, quo id constantius perseueraret, Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem adlocutus fertur.* Pro *id sua sponte* Gronouius, cum *id* parum aptum esse recte intellexisset, *et sua sponte* scribi iussit recentesque editores eum secuti sunt. Sed nec uerisimile est *et*, si olim scriptum fuisset, in *id* abisse nec sententia ea uox ullo modo flagitatur; uidetur potius *id* praue ex praecedentibus *ad id locorum* adsumptum, quod uitium in P frequentissimum esse constat. — Eadem medendi ratio aliis quoque locis adhibenda est: XXII 49, 3 *tum denuntianti cuidam iussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt* cet. Significationem, quam alibi *denuntiare* habere solet, abhorrere ab huius loci sensu pridem perspectum est, cf. quae Weissenbornius adnotat. Itaque

Gronouius *renuntianti* coniecit; probabilius est quod Creuerius commendauit *nuntianti*; nam cum praecedat *consulem ad regendum equom uires deficiebant*, in uerbis *tum denuntianti* proxime sequentibus *de* falso uidetur repetitum esse, cf. XXII 47, 9 *defuncti nequiquam* [*de*] *proelio uno*; XXIII 24, 3 *de se pauca ac* [*de*] *modice locutus*. — Recidenda est haec praepositio etiam XXIII 13, 5 *si quis de pace consulet seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententiae dicam*. Recte enim Woelfflinus commonuit, solere *pacis condiciones ferre* (= *offerre*) dici, non *deferre*; nec distractione *seu de ferenda* quidquam profectum esse, quia tum etiam in altero membro *seu de accipienda*, addita praepositione, exspectaretur, H. I. Mueller (Jahresber. 1884 p. 93) obseruauit. Itaque *seu ferenda* scribendum est deleta *de* praepositione, quam librarius ex praecedentibus falso addidit. — XXIV 8, 2 *eadem uos cura, qua in aciem armati descenditis, inire suffragium ad creandos consules decet et sibi si quemque dicere "Hannibali imperatori parem consulem nomino"*. Pro *sibi si* solent *sibi sic* edere. Sed cum *sic* prorsus non desideretur atque adeo potius *hoc* uel *haec* exspectetur, praestabit illas duas litteras *si* delere, ut quae ex priore syllaba praecedentis uocis *sibi* originem duxerint. — XXIV 16, 3 ubi in P traditur *ibi* (= intra hostium uallum, in hostium castris) *sicut pugna inexpeditior in angustis, ita caedes atrocior fuit*, pro *inexpeditior* pridem *inpeditior* restitutum est; sed alterum etiam mendum tollendum est. Nam cum loci significatio iam in *ibi* insit, *in angustiis* tum demum ferri possent, si aut explicandi causa addita et post ipsum illud *ibi* posita essent, quod factum non est; aut si partem eius loci indicarent, qui per *ibi* significatur, id quod non magis conuenit: quasi alicubi in castris angustiae non fuissent. Immo uero angustiarum mentio eo consilio iniecta est, ut causa cognosceretur, cur in castris pugna impeditior fuisse diceretur. Itaque hic quoque praepositio falso repetita est scribendumque *inpeditior angustiis*. Iam Drakenborchius commemorat: "praepositio *in* deest in Flor. a m. 2. et Hav." Cf. XXV 22, 6 *collegam inuenit Casilino omnia* [*in*] *deportantem* P; XXII 19, 9 *ruentibus in naues simul* [*in*] *remigibus militibusque* P. — XXIV 26, 15 *ira deinde ex misericordia orta, quod adeo festinatum ad supplicium neque locus paenitendi aut regressus ab ira relictus esset*. Maduigius in praefatione editionis 'Vid., inquit, ne scribi debeat *festinatum id supplicium*'. Sed cum *id* superuacaneum ac molestum sit, malim

putare, librarium ad praecedentem uocem *adeo* aberrasse, et praepositionem tollere. — Praua repetitione etiam XXI 33, 5 *tum uero simul ab hostibus simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur* alterum *ab* uidetur ortum esse, cf. 22, 60, 7 *praeferri non captis modo in acie ab hostibus sed etiam* [*ab*] *iis, qui Venusiam peruenerunt* P.

XXII 39, 10 *una ratio belli gerendi aduersus Hannibalem est, qua ego gessi; nec euentus modo hoc docet — stultorum iste magister est —, sed eadem ratio, quae fuit futuraque* (*futura quae* P), *donec res eaedem manebunt, inmutabilis est.* Mira Fabius usus esset argumentatione, si, ut unam esse belli gerendi rationem demonstraret, eandem rationem tamquam argumentum commemorasset; quae tamen ineptiae non ipsi Liuio sed librariorum editionumque errori tribuendae sunt. Nam quod illis *una ratio belli gerendi aduersus Hannibalem est* generaliter dixerat Cunctator, id postea secretis temporibus ita diuisit, ut illam rationem non solum fuisse unam probabilem sed etiam futuram esse affirmaret. Ac prius orationis membrum, quod proprie ita fere formandum fuit "nec modo una belli gerendi ratio fuit, id quod euentus docet", in breuius *nec euentus modo hoc docet* contractum esse facile perspicitur; in altero autem membro post uerba *eadem ratio quae fuit,* quae ad propriam prioris membri formam respiciunt illudque *hoc* explanant, non recte pergitur *futuraque inmutabilis est,* ita ut *docet* etiam ad *ratio* referendum sit. Nec enim *ratio quae fuit,* licet prosperrima fuerit, quicquam ipsa per se docere potest, quo Paulo persuadeatur, ut et ipse eam amplectatur; immo, ut in Fabii sententiam Paulus traducatur, illud demonstrandum est, eandem rationem in posterum quoque, donec res eaedem manebunt, immutabilem fore. Cuius quidem rei argumenta postquam §§ 11 — 14 fusius exposita sunt, tum interrogando Fabius Paulum *dubitas ergo quin sedendo superaturi simus eum?* ad id ipsum, quod altero illo membro in § 10 statuerat, recurrit: nam sedendo ipse bellum gesserat uisusque sibi est iam demonstrasse, eandem rationem, quam euentus comprobauerit, etiam in posterum immutabilem fore eaque de causa a Paulo quoque esse ineundam. Hinc apparet, illud *quae,* quod in P post *futura* traditur, non in coniunctionem *que* mutandum esse sed potius tollendum, ut praua praecedentis uocis *quae* repetitione ortum. Verum iam Ios. Fischer uidit, cuius emendatio in programmate Spirensi anni 1840 adhuc neglecta latuit.

XXII 58, 7 emendationem H. A. Kochius praeoccupauit, in cuius Emendationum Liuianarum parte priore p. 4 haec leguntur: "22, 58, 7: *Missus cum his Carthalo nobilis Carthaginiensis qui si forte ad pacem inclinaret animos conditiones ferret.* Sic P. Editores uaria tentauerunt, mihi scribendum esse uidetur: *si forte ad pacem inclinare [cernere]t animos*, cf. 24, 30, 9: *cum ad defectionem inclinatos animos cernerent praetores*; 42, 37, 2: *Decimius missus est ad Gentium, si aliquem respectum amicitiae eum habere cerneret, retentare iussus.*" Quae quin recte obseruata sint, nullus dubito. Nam quae uulgo eduntur, *si forte ad pacem inclinaret animus,* eo uitio laborant, quod ipsius Carthalonis animus significari uidetur, non, id quod res poscit, animi Romanorum. Quem errorem ut credam a Liuio praecisum et ademtum esse, adducor plurali *animos* in P tradito, quem ita seruandum esse Kochio adsentior, ut *inclinaret* in *inclinare cerneret* mutetur; nam *inclinatos cerneret*, de quo praeterea quis cogitet, ad sententiam quidem aeque aptum est sed non aeque facile ex *inclinaret* elicitur.

XXIII 12, 11 Nuntio uictoriae Cannensis Carthaginem allato cum Himilco irridendi causa Hannonem, qui semper bello aduersatus erat, interrogasset, paeniteretne etiam tum belli cum Romanis suscepti, Hanno *Respondeo*, inquit, *Himilconi non desisse paenitere me belli neque desiturum ante inuictum uestrum imperatorem incusare, quam finitum aliqua tolerabili condicione bellum uidero; nec mihi pacis antiquae desiderium ulla alia res quam pax noua finiet. itaque ista, quae modo Mago iactauit, Himilconi ceterisque Hannibalis satellitibus iam laeta sunt: mihi possunt laeta esse, quia res bello bene gestae, si uolumus fortuna uti, pacem nobis aequiorem dabunt.* Postquam Hanno antiquae pacis desiderium sibi noua demum pace expletum iri affirmauit, recte quidem pergit res ab Hannibale egregie gestas posse sibi eam ob causam laetas esse, quia inde spem pacis aequioris impetrandae concipere liceat; sed quod in priore parte enuntiati ab *itaque* incipientis conclusisse dicitur, id plane ineptum est: nam in eo, quod Hanno summum habebat pacis desiderium, certe causa non erat posita, cur Himilconi res Hannibalis laetae uidebantur. Immo, quae de Himilcone commemorantur, nec ex Hannonis desiderio pacis consecuta sunt nec propter se ipsa commemoratu digna erant, — quid enim attinebat rem apertam omnibusque notam ut aliquid noui significare? — sed tantummodo contrarii causa addita sunt, ut doceret Hanno, quid

inter se et satellites Hannibalis interesset, et cur, licet omnes tum gaudio exultarent, tamen ipsi nondum praesentis sed futurae fortasse laetitiae facultas uictoriis Hannibalis data esset. Haec duarum, quae per *itaque* adnectuntur, sententiarum inter se ratio demonstrat, non *sunt* sed *sint* a Liuio scriptum esse, ita quidem, ut coniunctiuus, tamquam si *licet* additum sit, aduersatiuum et concessiuum sensum habeat eundem, quem *appellent* habet XXVIII 40, 7 *cunctationis, quam metum pigritiamque homines adulescentes sane appellent, dum me non paeniteat cet.* Atque *sint* scribendum esse iam C. L. Bauer suspicatus est, cum adnotaret "Vix est, quin dederit Liuius *sint*; per me, inquit, licet esse", itemque Rupertius dicit "forte *iam* aut *tam laeta sint.*"

XXIII 15, 5 *nec ea spes quemquam tenuit; dilapsi omnes, quocumque hospitia aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniae urbes, maxime Nolam Neapolimque.* In *quocumque* iam Gronouius haesisse uidetur, qui, cum ad XXIII 17, 6 *silentio noctis dilapsi per uias inuiaque, qua quemque aut consilium aut error tulit, in urbes Campaniae . . perfugerunt* illum locum laudaret, adnotauit "ubi forsan etiam legendum: *quo quemque*"; nec tamen hoc aut ipse aut alius post eum editor in Liuii uerba recepit, immerito, ut mihi uidetur. Nam cum *dilabi* ipsum per se positum non significet 'in uarias diuersasque partes separatim abire', sed 'ab aliquo loco clam abscedere', id quod Fabrius ad XXI 32, 10 et 12 docuit, illis uerbis, si *quocumque* seruas, indicatur non solum uno agmine uniuersos abisse, sed consulto et de industria in quam plurimos locos migrasse, quocumque aut hospitia aut fortuitus animi impetus eos tulerit. Quod cum aperte cum consilio scriptoris pugnet, qui sine dubio narraturus erat milites in uarias partes discessisse et alios alio abisse, prout hospitia aut fortuitus animi impetus singulos impulisset, illud *quocumque* oportebit in *quo quemque* mutari; cf. praeter XXIII 17, 6, si opus est, XXIII 42, 12 *opprimere populatores nostros uagos sine signis palatos, quo quemque trahit quamuis uana praedae spes*; XXIII 20, 7 *ut pars profugiendi, qua quisque posset, ac deserendae urbis auctores essent*; IV 39, 7 *uictos rati suos et ipsi, qua quemque in tenebris pauor tulit, fugerunt*; eademque dictio haud raro alibi inuenitur.

XXIII 22, 9 *si quid umquam arcani sanctiue ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliuiscendum, pro non dicto habendum esse.* In

P omissa negatione *pro dicto* traditum est, sed negatio ipsa sententia flagitatur; praetulerim tamen, quod Alschefskius commendabat, *pro indicto*, his nisus exemplis: Liu. V 15, 10 *quae tum cecinerit diuino spiritu instinctus, ea se nec, ut indicta sint, reuocare posse et tacendo* cet.; IX 11, 4 *omnia pro infecto sint*; Cic. de inuent. II 27, 80 *id quod iudicatum non sit, pro infecto haberi oportere*; Ter. Phorm. V 8, 58 *quod dictum, indictumst, quod modo erat ratum, inritumst*; alia congessit Georges sub his uocibus.

XXIII 33, 2 *Philippus Macedonum rex ... ubi primum fama accepit Hannibalem Alpis transgressum, ut bello inter Romanum Poenumque orto laetatus erat, ita, utrius populi mallet uictoriam esse, incertis adhuc uiribus fluctuatus animo fuerat. postquam tertia iam pugna, tertia uictoria cum Poenis erat, ad fortunam inclinauit legatosque ad Hannibalem misit.* Frigellius monuit sublato incisionis signo *postquam tertia iam pugna tertia uictoria cum Poenis erat* scribendum esse ita, ut *tertia pugna* sit ablatiuus similiter positus atque I 37, 3 *eo proelio praecipua equitum gloria fuit* multisque aliis exemplis. Nam praeterquam quod ad *tertia iam pugna*, si nominatiuo prolata putas, difficulter suppletur uerbum ex insequenti *erat*, mire tamquam graue aliquid narratur tertiam iam pugnam fuisse, quasi hoc ipsum per se regem ad consilium suum impulerit; immo uero quod tertiae iam pugnae — nec plures fuerunt — uictoria cum Poenis erat, id solum causae fuit, cur rex Carthaginiensium partes sequeretur. Nec tamen illa orationis constructione sententiae uitium plane sublatum est. Nam si uerba *tertia iam pugna* arctius cum proximis coniunguntur, moleste et absurde superfluere sermonem apparet: aut *postquam tertia iam uictoria cum Poenis erat* dicendum fuit aut *postquam tertia iam pugna uictoria cum Poenis erat*, nec uero *postquam tertia iam pugna tertia uictoria c. P. erat*; nam ea notio, quae in adiectiuo *tertia* ad *uictoria* addito inest, ipsis praecedentibus uerbis *tertia pugna* significatur. Sequitur, ut *tertia* secundo loco positum remoueri necesse sit, ut ex praecedentibus peruerse repetitum, similiter atque XXI 43, 4 *Padus amnis maior* [*Padus*] *ac uiolentior Rhodano*, XXII 40, 1 *oratio consulis* [*oratio*], alibi saepissime.

XXIII 34, 3 sq. *inde profecti* (legati Macedonum et Hannibalis) *cum altum tenerent, conspecti a classe Romana sunt, quae praesidio erat Calabriae litoribus. Valerius*

Flaccus cercuros ad persequendam retrahendamque nauem cum misisset, primo fugere regii conati; deinde, ubi celeritate uinci senserunt, tradunt se Romanis. In P non *Valerius Flaccus*, ut Alschefskius indicauit, sed *Valeriusq. Flaccus* traditum est, quod cum narrationi optime conueniat, recipiatur oportet; nam ne coniunctionem *que* nomini proprio suffixam in suspicionem uoces, prohibet XXII 54, 4 sq. *iam ad decem milia hominum erant; Appiusque et Scipio, postquam incolumem esse alterum consulem acceperunt, nuntium extemplo mittunt.*

XXIII 46, 4 *hostium plus quinque milia caesa eo die, uiui capti sescenti et signa militaria undeuiginti et duo elephanti, quattuor in acie occisi; Romanorum minus mille interfecti.* Pro *occisi* puto *occisis* restituendum esse; nam si nominatiuus *occisi* seruatur, turbata est concinnitas sermonis: tria sunt eiusdem ponderis membra, quamquam primi (*caesa*) notio a tertio (*occisi*) non differt; aptius igitur occisorum elephantorum mentio per ablatiuum absolutum alteri membro subiungi quam proprium membrum efficere uidetur. Aeque Liuius orationem formauit XXIII 49, 11 *adeo haut dubia uictoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant, Romani hostium occiderint, ceperint amplius tria milia hominum, paulo plus mille equorum, undesexaginta militaria signa, septem elephantos, quinque in proelio occisis.*

XXIII 48, 3 *M. Valerium inde praetorem Brundisium cum eo quem Luceriae habuerat exercitum misit* uulgo *exercitum*, quod in P traditur, in *exercitu* mutatur. Nec ego infitior posse olim *exercitu* scriptum fuisse; illud tamen moneo, etiam *exercitum* defensionem idoneam habere: nam prorsus similia sunt XXI 32, 5 *Genuam repetit eo qui circa Padum erat exercitus Italiam defensurus*; XXI 29, 6 *an cum eo qui primus se obtulisset Romanus exercitus manus confereret*; XL 20, 3 *speculatum magis inquisitumque missi de iis, quorum Perseus Demetrium insimulasset sermonum cum Romanis, maxime cum T. Quinctio, aduersus fratrem de regno habitorum*; etiam XXXII 24, 4 *relictis suis quisque stationibus in eum qui premebatur inpetu hostium locum concurrerunt* in codice Bambergensi *locus* traditur.

XXIV 8, 20 *lacus Trasumennus et Cannae, tristia ad recordationem exempla sed ad praecauendas similes clades utilia, documento sunt.* Quibus dicebat Fabius lacum Trasumennum et Cannas documento esse? sine dubio cum aliis Romanis tum maxime

eis, quibus tum suadebat, ne T. Otacilium et M. Aemilium, quos praerogatiua dixerat, consules crearent, sed eos, qui duci hostium pares forent imperatores. Atqui si credidit Maximus illa exempla ad praecauendas similes clades utilia Quiritibus documento esse, neque Trasumenni Cannarumque mentione neque ulla oratione opus erat, quoniam exspectare debuit, ciues, cum consules dicerent, earum cladium memores et fuisse et futuros esse. Verum enim uero hoc ipsum negauit Fabius eosque, quos praerogatiua nominasset, impares Hannibali imperatores esse demonstrauit, qua ipsa de causa ciues monendos esse censuit, quantarum cladium mali duces populo Romano auctores fuissent et denuo fieri possent, hortandosque, ut Trasumennus et Cannae eis documento essent. Hinc patere puto pro *documento sunt* emendandum esse *documento sint*. Similiter idem Fabius, cum dissuaderet, ne Scipio cum exercitu in Africam traiceret, dicit XXVIII 41, 14 *domus tibi tua, pater patruusque intra triginta dies cum exercitibus caesi documento sint*, et XXVIII 42, 1 *externa et nimis antiqua repeto; Africa eadem ista et M. Atilius, insigne utriusque fortunae exemplum, nobis documento sint.*

XXIV 14, 10 *Gracchus proelio in posterum diem pronuntiato contionem dimisit. milites laeti, praecipue quibus merces nauatae in unum diem operae libertas futura erat, armis expediendis diei relicum consumunt.* (cap. 15, 1) *postero die ubi signa coeperunt canere, primi omnium parati instructique ad praetorium conueniunt.* Qui sunt isti, qui primi omnium conuenisse dicuntur? nam paulo ante uerbis *praecipue quibus merces ... futura erat* pars quidem militum excipitur; sed quoniam haec ipsa exceptio enuntiato *milites ... consumunt*, quo de omnibus militibus praedicatur, inclusa est, idque enuntiatum proxime praecedit, illud *primi* aut ad *milites* referendum est, quod fieri non posse patet, aut omnino non habet quo spectet. Itaque partis militum significationem cap. 15, 1 intercidisse necesse est; ei autem, qui maxime laeti proelio pronuntiato fuisse, quia merces operae eo die nauatae libertas futura erat, primique omnium conuenisse putandi sunt, sunt *uolones*; ita certe id genus militum uocatur XXIII 32, 1, ubi praeter uolones etiam sociorum uiginti quinque milia Graccho decreta esse narratur; XXIII 35, 6; XXIV 10, 3; XXIV 11, 2; XXIV 14, 3; XXIV 16, 6 et 9 et 18; XXV 20, 4; XXV 22, 4 et 3; addas igitur eam uocem ante *primi* uel post *omnium.*

XXIV 19, 6 cum olim uulgo ederetur *ubi cum multa succedentes temere moeni-*

bus Romani milites acciperent uulnera, neque satis inceptis succederet, Fabius omittendam rem paruam ac iuxta magnis difficilem abscedendumque inde censebat, I. Frid. Gronouius haec adnotauit "Sic et lib. 40. (c. 11, 10) *Si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.* Lib. 45. (c. 36, 4) *Militiamque si talibus succedat ducibus, horridiorem asperioremque bellantibus futuram.* Tamen in Put. et Pet. est *inceptu.* Delibera malisne hoc accipere pro *inceptui* (nam in praefatione totius operis *foedum inceptu*) an scribere *inceptum*". Atque *inceptu* (uel *inceptui*) probari non posse pridem perspectum est, nec eam formam nominis Liuio inusitatam Gitlbauer Z. f. d. österr. Gymn. XXIX (1878) p. 922 denuo commendare debuit; *inceptum* autem omnes nostrae aetatis editores receperunt; nec id uituperandum est. Nam in Puteani scriptura *inceptu* posse *inceptum* latere eo confirmatur, quod etiam alibi in extremis uocibus *u* pro *um* in P scriptum est, uelut XXII 49, 6 *oppletu*; XXIII 8, 8 *egressu*; XXIII 26, 6 *agru*; XXIV 2, 3 *plurimu*; XXIV 22, 8 *euocatu*; XXIV 40, 9 *hostiu*; XXIV 43, 9 *senatuq.*; nec usus Liuianus obstat, quia praeter neutra pronominum et adiectiuorum (XXXII 18, 1 *cum parum quidquam succederet*; XXXIII 5, 3 *postquam nihil conceptae temere spei succedebat*; XLIV 31, 6 *quia prima successerant prospere*) semel certe etiam substantiui nominatiuus cum succedendi uerbo coniunctus est, XLII 58, 1 *postquam inceptum non succedebat.* Multo saepius autem substantiua in datiuo ponuntur: VIII 25, 12 *si successisset inceptis*; XXI 7, 6 *haudquaquam prospere, postquam ad effectum operis uentum est, coeptis succedebat*; XXIV 38, 3 *cui* (i. e. *fraudi*) *quoniam parum succedit*; XXV 37, 19 *si successisset coeptis, erecturum se adflictas res*; XXXVIII 25, 8 *et successisset fraudi* (*fraudi* Mog. *fraus* codd. recentiores), *ni pro iure gentium . . . stetisset fortuna*; XL 11, 10 *si facinori eorum successerit*; atque cum in nominum terminatione *u* identidem etiam pro *o* praue in P scriptum sit, uelut XXI 49, 7 *edictu*; XXII 40, 8 *conuectu*; XXII 7, 14 *ortu*; XXIV 18, 13 *primu*, quod tamen etiam *primum* interpretari licet; XXV 13, 6 *praestu*; XXV 37, 11 *uersu*, pro illo *inceptu* eodem iure, quo *inceptum*, restituitur *incepto*, idque ut sermoni Liuiano magis conueniens praeferendum puto.

XXV 7, 13 *Hos* (i. e. obsides Tarentinos et Thurinos) *crebris colloquiis sollicitatos, corruptis aedituis duobus, cum primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti*

itineris factus profugit. Illud *duobus*, quod uulgo editur, aut indicat duos omnino, non plures, aedituos fuisse, ut similiter dictum sit atque duo consules apud Liuium identidem commemorantur, aut ex aedituis, qui plures quam duo erant, duos corruptos esse, ceteros non item. Atque hanc quidem interpretationem ne accipiamus, ipsa consilii ratio uetat, quae ratio statim a principio turbata esset, si duo aeditui fugae fauissent, ceteri obstitissent; sin non plures quam duos aedituos fuisse indicatur, sic quoque, quia id nec a Liuio antea commemoratum nec aliunde cognitum est, subest ambiguitas, nec ueri simile uidetur, duobus aedituis praeter solita munera etiam tot obsidum custodiam commissam esse. Auget praeterea suspicionem ipse codex Puteanus, ut in quo non *duobus* sed *duobus qui* scriptum sit. His causis adducor, ut *duobus* prauum esse putem potiusque restituendum *aedituis custodibusque.*

XXV 14, 4 *proxime portae hostium erat cohors Paeligna, cuius praefectus Vibius Accaus arreptum uexillum trans uallum hostium traiecit.* Prima huius enuntiati uerba corrupta esse inter omnes constat; et pro *proxime* scribendum esse *proxima* consentiunt editores; pro *portae* autem siue cum Maduigio *forte* siue cum Maur. Muellero *ea parte* substituis, cum genetiuus *hostium* iam non habeat quo regatur, alii *hosti* alii *hostibus* correxerunt, existimantes sine dubio, postquam *forte* uel *ea parte* in *portae* abierit, datiuum qui olim fuerit falso in genetiuum mutatum esse. Et hoc quidem fieri potuit; sed aeque ueri simile est *hostium* integrum esse et potius, id quod in P saepissime factum esse constat, nomen quoddam, cum quo genetiuus constructus fuerit, intercidisse; atque cum castrorum oppugnatio describatur, *hostium castris* uel *castris hostium* fere aptius quam *hosti* uel *hostibus* uidetur.

XXV 18, 9 sq. *si parum publicis foederibus ruptis dirempta simul et priuata iura esse putet, Badium Campanum T. Quinctio Crispino Romano palam duobus exercitibus audientibus renuntiare hospitium. nihil sibi cum eo consociatum, nihil foederatum hosti cum hoste, cuius patriam ac penates publicos priuatosque oppugnatum uenisset.* Haec cum Badius pronuntiet, uerbis *sibi* et *hosti* Badium significari apparet, contra *eo* et *hoste* Crispinum; relatiuum autem *cuius* cum ad nomen proxime praecedens *hoste* i. e. ad Crispinum referri consentaneum sit, uerbi *uenisset* subiectum Badium esse oportet. Ita tamen inepta efficitur sententia: neque enim Campanus Badius dicere poterat, se

Crispini Romani patriam oppugnatum uenisse, quia eo ipso tempore Capua a Romanis oppugnabatur; immo Badius renuntiandi hospitii eam causam commemorat, quod Crispinus hospitis patriam oppugnatum uenisset. Has ineptias ut tollerent, interpretes *cuius* ad remotius substantiuum *hosti* i. e. ad Badium spectare adnotarunt: quam interpretationem nisi necessitate coactus uix admittas, quia hac relationis ambiguitate sententiae perspicuitas minuitur. In P uero non *cuius* scriptum est, sed *cuimus*, idque similiter ex *qui suam* corruptum esse existimo atque XXV 4, 6 *ipsius* ex *ipsi sua*; quam saepe autem *c* et *q* inter se permutentur, ex A. Frigellii ad Liu. XXII 1, 1 adnotatione cognoscas; etiam XXIV 43, 9 in P *cuiq.* pro *quique* scriptum est; litterarum porro transpositionis, qua *suam* in *mus* detorta esse puto, exempla ex Puteano idem uir doctus ad XXII 4, 4 et 55, 8 collegit. Hac litterarum uel syllabarum traiectione etiam factum est, ut *simi* pro *missi* poneretur XXI 49, 8 *perque omnem oram qui ex speculis prospicerent aduentantem hostium classem missi*; nam *simi* a P[1] profectum est, *simili* altera demum manus interpolauit; unde, etsi de cetera orationis forma dubites, illud certe probabile uidetur, non dimittendi sed mittendi uerbo Liuium usum esse. Item XXIII 42, 13 *Numidarum paucorum illi quidem praeda erunt praesidiumque misul* (sic P) *nobis et Nolae ademeris* illud *misul* tantummodo ex *simul* potest ortum esse nec etiam uerbi reliquias continere, ut *miseris*, quod nunc uulgo addunt, non necessario ante *simul* sit inserendum, nec omnino discernas, utrum *miseris* an aliud uerbum, uelut *addideris* uel *dederis*, interciderit.

XXV 23, 5 *non erat conloqui copia, quia multorum animi suspecti omnium curam oculosque eo uerterant, ne quid falleret tale admissum.* In P *cura* scriptum est; *curam* non esse uitiosum per se patet, cf. etiam V 8, 2 *his tribunis, dum cura omnium in Veiens bellum intenta est, neglectum Anxuri praesidium . . . oppressum est.* Possis tamen etiam *curas* restituere, cf. VI 14, 13 *ceteris omissis eo uersae erant omnium curae*; IX 31, 6 *omnium principum in Samnio eo curae sunt intentae, ut insidiis quaereretur locus*; XXXIII 44, 5 *his litteris lectis, minus terroris ab Hispanis erat . .; omnes curae . . . in Antiochum regem conuersae.*

XXV 24, 1 *iam mille armatorum muri ceperant partem, cum ceterae admotae sunt copiae, pluribusque scalis in murum euadebant signo ab Hexapylo dato, quo per*

ingentem solitudinem erat peruentum, quia magna pars in turribus epulati aut sopiti uino erant aut semigraues potabant. paucos tamen eorum oppressos in cubilibus interfecerunt. Qui essent ei, quorum magna pars in turribus potabant, eo magis mihi persuasum est accuratius indicatum fuisse, quia etiam paulo post pronomen *eorum* certum quoddam nomen, quo explicetur, flagitat. Nec enim *eorum* spectat ad eos, qui in praecedentibus dicuntur in turribus epulati aut sopiti uino fuisse aut semigraues potauisse: immo uero his ipsis opponuntur ei, qui suis locis remanserant ibique a Romanis in cubilibus opprimuntur. Itaque necessario *custodum* (*custodes* uel *uigilum, uigiles*) ante *magna pars* uel post inserendum est. Etiam § 4 sq. *terrendi magis hostes erant quam fallendi, sicut territi sunt. nam simul ac tubarum est auditus cantus clamorque tenentium muros partemque urbis, omnia teneri custodes rati alii per murum fugere, alii salire de muro,* ubi, quia *hostes* paulo ante commemorati sunt, multo minus opus erat, tamen nomen *custodes* additum est.

XXV 29, 7 *ne plus aput uos Hieronymi quam Hieronis memoria momenti faciat: diutius ille multo amicus fuit quam hic hostis, et illius benefacta etiam re sensistis, huius amentia ad perniciem tantum ipsius ualuit.* Quin *re* ab hac sententia alienum sit, non dubium est plurimique id editores significauerunt; nam quae beneficia non re conferuntur sed spe uel promissis, non sunt beneficia: quo modo igitur addita *etiam* particula tamquam singulare aliquid atque mirum commemorari potuit, quod, ut beneficia omnino efficerentur, prorsus necessarium fuit? Non magis conuenit, quod Weissenbornius coniecit, *etiam Romae sensistis*; ita enim beneficia, quae Romani Romae senserunt, aut eis opponuntur, quae Romani alibi senserunt, id quod absurdum est, aut eis, quae Hiero in alios populos contulit, indicaturque Hieronis beneficia non solum multos alios sed etiam Romanos sensisse. Sed ut uenia, id quod hac oratione legati Syracusani appetunt, ab Romanis impetraretur, tantummodo beneficiorum in Romanos collatorum ratio habenda erat; ceterorum mentione ut Romani ad clementiam permouerentur, nullo modo exspectari potuit. Itaque *Romae* non minus superuacaneum atque ineptum est quam *re.* Immo uero, quoniam oratoris Syracusani interfuit, ut Hieronis erga Romanos beneficia quam maxima et singularia fuisse significaret, eam rerum condicionem commemorari oportuit, qua aliorum quidem fides labare coepit,

Hiero autem nihilo minus perrexit beneficia conferre; cuius rei luculentum testimonium apud Liu. XXII 37 est, ubi post pugnam ad Trasumennum omnia, quibus a bonis fidelibusque sociis bella iuuari soleant, regem Romanis misisse narratur, quamquam probe sciat magnitudinem populi Romani admirabiliorem prope aduersis rebus quam secundis esse. Hinc intellegitur, quid ex illo *re* efficiendum sit: uel (*in*) *rebus* (*uestris* cf. VII 30, 2; XXII 39, 12) *aduersis* uel *aduersissimis*, uel *re uestra* (uel *Romana*) *adflicta*, uel simile aliquid, quae omnia enumerare longum est, cf. XXIII 11, 11 *post adflictam rem Romanam Cannensi pugna*, XXV 37, 19 *erecturum se adflictus res*, XXVIII 34, 3 *in adflictis rebus*, XXII 14, 9 *in rebus adfectis*, III 10, 8 *accisae res*, X 6, 1 *aduersa belli res*, XXXI 31, 12 *tempore nostro aduerso*, VII 30, 3 *in dubiis rebus*, XXXI 2, 3 et XL 21, 5 *in rebus dubiis*, XXIX 15, 1 *dubiis in rebus*, XXX 7, 6 *in aduersis rebus*.

XXV 37, 12 *extemplo inprouisa res pauorem incutit Poenis, mirabundique, unde tot hostes subito exorti prope deleto exercitu forent, unde tanta audacia tanta fiducia sui uictis ac fugatis, quis imperator duobus Scipionibus caesis exstitisset, quis castris praeesset, quis signum dedisset pugnae — ad haec tot tam necopinata primo omnium incerti stupentesque referunt pedem, dein uulida inpressione pulsi terga uertunt.* Ad haec Duker adnotauit "si quid libri iuuarent, praeferrem *mirabundis unde tot hostes*" scilicet ita, ut post *dedisset pugnae* punctum poneretur. Et libri quidem nihil iuuant, nam in P *mirabundique* traditur; sed quia in eodem codice XXIII 25, 9 *auspiciiq.* pro *auspiciis* et XXIV 8, 11 *priuatique* pro *priuatis* scriptum est, etiam illa, quam Duker commendabat, mutatio non nimis uiolenta uideatur. Causarum autem mentio, quibus mirabundi fuisse hostes dicuntur, quamquam non minus ad insequentia *omnium incerti stupentesque* quam ad praecedentia *pauorum incutit* referri potest, tamen, quia illa idem atque haec significant et post longam rerum enumerationem tantummodo repetendi causa posita sunt, longe melius cum priore enuntiato coniungitur. Neque enim quidquam detraheretur narrationis perspicuitati, si omnia illa *ad haec ... stupentesque* omissa essent et simpliciter per *itaque* similemue uocem sententiarum coniunctio efficeretur. His de causis *mirabundique* in *mirabundis* mutandum esse puto.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum nobilissimum et doctissimum

Dᵉ ALBERTUM HILGER

CHEMIAE ET PHARMACIAE PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM ORDINIS S. MICHAELIS PRIMAE CLASSIS EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, procuratoris regni Bavarici **Luitpoldi** principis regii celsissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXXXVII.

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. ALBERTUS HILGER

CHEMIAE ET PHARMACIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT

PRAEMISSA EST

AUGUSTI LUCHS

EMENDATIONUM LIVIANARUM PARTICULA QUARTA

ERLANGAE

TYPIS JUNGE ET FILII

MDCCCLXXXIX

Ex eorum codicum numero, quibus crisis librorum T. Liui a tricesimo primo ad quadragesimum nititur, exstant hodie suppetuntque nobis Bambergensis (= B) saeculo undecimo exaratus et complures saeculi quinti decimi, quorum parens (= Φ) Bambergensi fuit simillimus et ex eodem atque ipse Bambergensis codice uidetur ductus esse.

Atque in ceteris quidem libris B et Φ adeo inter se conspirant aut quae Φ meliora praebet iam ita sunt deprompta atque exhausta, ut nouo editori non multum restet ad uindicandum; in libris tricesimo primo autem et tricesimo altero maior est inter B et Φ itemque inter editores dissensus. In his enim libris uerba Liui in B multis lacunis sunt imminuta, quae aut ab ipso librario spatio uacuo relicto indicantur aut sententiarum uitiis facile ab legentibus agnoscuntur. Ad haec damna resarcienda quam ingentem Φ praebeat utilitatem, facile intelleges, si percensueris hanc multitudinem uerborum, quae in B interciderunt, a Φ seruata sunt: 31, 2, 4 *in fide mansisset*; 31, 4, 1 *bellum*; 31, 7, 14 *arma esse*; 31, 9, 7 *ea*; 31, 11, 17 (*mutari*)*ue*; 31, 32, 4 *in*; 31, 34, 7 *Athaco*, B 4 litterarum spatium reliquit; 31, 34, 9 *e*(*duxit*); 31, 37, 5 *in* (*praesentis*); 31, 41, 10 *palati*; 31, 47, 1 *sinus*; 31, 49, 2 *aeris argenti centum septuaginta* (*septuaginta* iniuria hodie omittitur) *milia*; quod in B sequitur ∞ᴅ, i. e. *mille quingenta*, in Φ pariter exstat; 31, 49, 6 *Venusinis*, B 11 l. sp. rel.; 31, 49, 10 (*deni*)*que*, B 3 l. sp.; 32, 1, 10 *Suess*(*a nuntiatum*), B 6 l. sp.; 32, 4, 4 (*inplicatas*)*que*; 32, 6, 7 *Iouis in*, pridem in *Ioui in* correctum, B 7 l. sp.; 32, 7, 4 pro *mille ducenta*, quod uulgo editur, B praecedente trium litterarum spatio ∞ praebet, optimus codex ex Φ ductus .b.9. ∞ↄ, unde illud *ducenta* (cc) ex ∞ nota praue intellecta ortum esse apparet; in .b.9. autem fortasse Iↄↄ i. e. *quinque milia* uel potius Iↄↄↄ i. e. *quinquaginta*

milia latet: Duker enim ad uulgatam scripturam *mille ducenta pondo argenti, triginta pondo ferme auri* haec adnotauit "Suspecti sunt mihi numeri. Fuerat multos annos cum Lentulo in Hispania, et multa fortiter ac feliciter gesserat: Lentulus autem in aerarium tulit (31, 20, 7) *argenti quadraginta quattuor milia pondo, auri duo milia quadringenta.*" Videtur praeterea *tria milia* (uel *duo milia* uel *mille*) ante *triginta* intercidisse. — 32, 8, 5 *M. Claudius,* B 8 l. sp.; 32, 8 11 (*classi s*)*uaque,* B 3 l. sp.; 32, 10, 2 *in* (*conloquium*); 32, 10, 8 (*ita*) *se*; 32, 10, 12 *illinc*; 32, 11, 7 *quattuor milia*; 32, 12, 1 *se*; 32, 13, 3 *spectat,* B 6 l. sp.; 32, 14, 2 *e*(*rexisset*); 32, 14, 6 *eos*; 32, 14, 8 (*eo*)*dem*; 32, 15, 3 *legati a Metropoli et a Piera* (*Pirea* Maduig., *Cierio* Weissenborn. H. J. Mueller Maur. Mueller) *dedentes urbes uenerunt. uenia isdem* (*isdem* suspectum habuit Maduigius, deleuit Maur. Mueller) *petentibus datur. Phaloria*; 32, 15, 7 *dies*; 32, 16, 11 *e*(*uersam*); 32, 16, 11 *ad deditionem,* sed ita ut in codice optimo 50 litterarum spatium praecedat, B 73 l. sp. rel.; 32, 16, 14 *Chalcidem*; 32, 16, 15 *noctu*; 32, 16, 15 *facto*; 32, 16, 17 (*signa ta*)*bulae priscae artis,* B 10 l. sp.; 32, 16, 17 (*ornamenta*)*que*; 32, 17, 2 *nummi*; 32, 17, 9 (*plerum*)*que*; 32, 17, 10 *promouit*; 32, 17, 15 *ad hoc et muri pars* (*adhuc,* quod uulgo additur, in optimis codicibus non traditur) *utraque integra* (pridem *integra utraque* restitutum) *tuta praestabat*; 32, 17, 17 *trepidationemque insanam* (Maduigius *insanam* in suspicionem uocauit in praefatione editionis adnotans "Pro *insanam* Livius *ingentem* similemve vocem posuit aut *non vanam*") *superstantibus armatis praebuerit*; 32, 18, 4 (*hostium*)*que*; 32, 18, 6 (*certa*)*mine cepit,* B 8 l. sp.; 32, 18, 8 *ut*; 32, 19, 7 *pro eius crudelitate perfidiaque,* B 33 l. sp.; 32, 21, 5 *ut*; 32, 21, 6 *Achaei,* B 5 uel 6 l. sp.; 32, 21, 11 *nos*; 32, 21, 14 *aut ui aut metu*; 32, 21, 24 *pili,* ex *fili* deprauatum; 32, 21, 27 *scilicet nos urbes,* B 12 l. sp.; 32, 21, 34 *et*(*enim*); 32, 21, 36 *in*; 32, 21, 36 *mare*; 32, 22, 3 *ad*(*uersus*); 32, 22, 3 *re*(*ferre*); 32, 22, 10 *patriam*; 32, 23, 11 *Lechaeum,* B 7 l. sp.; 32, 24, 1 *Elatiam,* B 6 l. sp.; 32, 24, 3 *urbem,* B 4 l. sp.; 32, 24, 3 *Romana,* B 6 l. sp.; 32, 24, 5 *et* (*ruinas*); 32, 25, 7 *urbe,* B 6 l. sp.; 32, 25, 8 *si*; 32, 26, 6 *ex praeda mancipia.* (*ea* add. Maduig.) *cum coniurationem,* B 19 l. sp.; 32, 26, 8 *Norbam et Cerceios occupare,* post quae uerba maiorem lacunam hiare Maduigius obseruauit, B 170 fere l. sp.; 32, 26, 13 *qui uestigarent,* post quae uerba Maduigius item complura intercidisse statuit, B 155 fere l. sp.; 32, 26, 15 *ex*; 32, 27, 2 *missa. Siciliam M.,*

B 14 l. sp.; 32, 29, 3 *una* (*ad castrum*); 32, 29, 4 *adiectum*; 32, 30, 12 *supra*; uerba insequentia *ducenta. multa oppida* ut in B ita etiam in *Φ* interciderunt, in *Φ* praeterea *Gallorum*, quod B seruauit; 32, 31, 4 *inde*; 32, 32, 7 *et* (*propinquis*); 32, 33, 7 *et penopolium* uel *et penopolum*, pro quibus uerbis aperte corruptis Sigonius ex Polyb. 17, 2, 4 *et Perinthum* substituit; 32, 33, 10 (*ne*)*que* (*de pace*); 32, 34, 2 *aut melioribus parendum*; 32, 35, 1 *in* (*stationem*); 32, 36, 5 *et*; 32, 38, 2 *quid*; 32, 39, 2 *Elat*(*iam*), B 4 l sp.; 32, 39, 8 *tribunis*; 32, 39, 11 *ea*.

Haec quae modo congessi uocabula ut a uetustioribus ita etiam a nostrae aetatis editoribus in contextum recepta sunt, neque praeter 32, 15, 3 *isdem* et 32, 17, 17 *insanam* et 32, 33, 7 *penopolium*, de quibus tamen et ipsis non certo constat, ullum eorum tamquam a falsario confictum aut interpolatum quisquam hodie in suspicionem uocat. Atqui complura alia uocabula in *Φ* traduntur, a B omittuntur; quorum pars a quibusdam editoribus comprobata, pars ab omnibus repudiata est: comprobata enim sunt, quae ab ipsa enuntiatorum sententia uel usu loquendi flagitari, repudiata, quae his causis non commendari uidebantur. Itaque pleniorem codicis *Φ* memoriam, quam Hertzius aspernatus est, Weissenbornius Maduigius H. J. Mueller Maur. Mueller his locis amplexi sunt: 31, 7, 15 *huius uobis sententiae non consul modo auctor est sed etiam* (*etiam Φ iam* B) *dii immortales*; 31, 31, 6 *Regium Pyrrhi bello legio a nobis* (*a nobis Φ*, om. B) *Reginis ipsis, ut mitteremus, orantibus in praesidium missa urbem . . per scelus possedit*; 31, 31, 9 *neque infitias imus Siciliam prouinciam nostram esse et ciuitates, quae in parte Carthaginiensium fuerunt et uno animo cum illis aduersus nos bellum gesserunt, stipendiarias nobis* (*nobis Φ*, om. B) *ac uectigales esse*; 31, 33, 8 *neutros fefellit, ut fremitus procul hominum equorumque exauditus est, hostis appropinquare* (*hostis appropinquare Φ*, om. B); 31, 34, 5 *ipsum quoque regem terror cepit nondum iusto* (*iusto Φ*, om. B) *proelio cum Romanis congressum*; 31, 38, 5 *cum uero integrae copiae peditum in castris mansissent, stationes ante portas praesidiaque disposita essent, quid, nisi ut temeritatem regis* (*regis Φ*, om. B) *effuse paulo ante secuti perculsos equites imitaretur, profecisset*; 31, 43, 2 *ubi rursus procedere Dardani coepissent, equite et leui armatura regii nullum tale* (*tale Φ*, om. B) *auxili genus habentes Dardanos oneratosque inmobilibus armis uexabant*; 32, 18, 1 *cum parum quicquam succederet,*

consul minime aequo animo comparationem militum generisque (*generisque* Φ *generis* B) *armorum fieri patiebatur*; 32, 30, 1 *Boiorum exercitus haut ita multo ante traiecerat Padum iunxeratque* (*iunxeratque* Φ *iunxerat* B) *se Insubribus et Cenomanis, quod ita acceperant, coniunctis legionibus consules rem gesturos, ut et ipsi conlatas in unum uires firmarent.* His igitur locis quae Φ plura quam B tradit uera atque integra esse satis hodie constare uidetur; alibi paucas uoces, quae in B desunt, unus Maduigius ex Φ adsumpsit: 32, 2, 7 *quod Narniensibus datum erat* (*erat* Φ, om. B), *ut colonorum numerus augeretur*, *id Cosani petentes non impetrauerunt*; 32, 35, 3 *atque ipse quidem, cum tam grauia et indigna imperarentur, inopem consilii diem se* (*se* Φ, om. B) *consumpsisse deliberando aiebat*; 32, 40, 11 *ea* (sc. *uxor Nabidis*) *nunc singulas inlustres nunc simul plures genere inter se iunctas domum* (*domum* Φ, om. B) *accersendo blandiendoque ac minando non aurum modo iis sed postremo uestem quoque mundumque omnem muliebrem ademit.*

Weissenbornium H. J. Muellerum Maur. Muellerum has uoces puto propterea repudiasse, quia non necessario desiderari eas censuerunt. Sed quoniam hi uiri docti et ipsi consentiunt tam multas uoces necessarias in B intercidisse, etiam quasdam minus quidem necessarias, attamen cum sermone Liuiano congruentes, pariter in B perisse ueri simillimum est. Itaque non illas tantum uoces, quas Maduigius recepit, comprobandas existimo, sed longius etiam progrediendum omnesque eas in contextum asciscendas, quae ad sententias aptae sint nec cum usu loquendi Liuiano pugnent: praesertim cum infra demonstretur re uera praue inculcatas in Φ non plures esse uoces quam in ipsum B. Priusquam autem eos locos exscribam, qui huc pertinent, moneo, ne quis Drakenborchii aut silentio aut testimonio nimium tribuat; codicum enim collationibus satis negligenter confectis cum usus sit, identidem falsa refert. Velut intra libri tricesimi secundi cap. 21 et 30 de his tacet scripturis, quibus Φ et B consentiunt: 21, 2 *pro sententiis dictas*, 21, 4 *gerant*, quod aeque retineri poterit atque 31, 31, 10 *possint*, 21, 9 *uobis religionem*, 21, 11 *populandosque*, 21, 20 *urbes eius*, 21, 25 *credulitatis*, 21, 29 *clades alienae*, 21, 31 *portibus*, 21, 37 *mentis sanae*, 23, 5 *erant* Φ *ierant* B, unde etiam *omnes spes . . erant* scribere licet, 24, 4 *locus*, 25, 6 *ciuitatum*, 26, 13 *dimissis*, 26, 15 *haut multo ita post*, 28, 9 *successor ex*,

28, 10 *milia tria*, 28, 11 *eidem*, 28, 11 *titus quintius*, 28, 11 *nominis Latini*, 29, 1 *praetoresue*, 29, 2 *aefulo*, 30, 6 *insubrum*, 30, 10 *hostis*.

Adsumendae igitur uoces, quas Φ tradit, mihi his locis uidentur:

32, 8, 1 *Sex. Aelius Paetus T. Quinctius Flamininus consules* (*consules* om. B) *magistratu inito senatum in Capitolio cum habuissent, decreuerunt patres.* Magistratum inire non solum consules, sed etiam censores, praetores, quaestores, alii dicuntur. Itaque Liuius in noui anni consulum mentione aut definite consulatum, non magistratum, inisse quosdam commemorat (ut 33, 25, 4 *L. Furius et M. Claudius Marcellus, consulatu inito, cum de prouinciis ageretur, ut Macedoniam cum Italia sortirentur, tendebant*) aut, si magistratum eos inisse narrat, uocem *consulum* solet nominibus addere: 26, 1, 1 *Cn. Fuluius Centimalus P. Sulpicius Galba consules cum idibus Martiis magistratum inissent*, 33, 43, 1 *L. Valerius Flaccus et M. Porcius Cato consules idibus Martiis, quo die magistratum inierunt, de prouinciis cum ad senatum rettulisent*; 36, 1, 1 *P. Cornelium Cn. f. Scipionem et M'. Acilium Glabrionem consules inito magistratu patres . . res diuinas facere . . iusserunt*; 22, 1, 4; 23, 30, 18; 41, 14, 7. Neque *consules* neque *consulatus* non plus duobus locis legitur: 30, 27, 1 *Principio insequentis anni M. Seruilius et Ti. Claudius senatu in Capitolium uocato de prouinciis rettulerunt* et 42, 1, 1 *L. Postumius Albinus M. Popilius Laenas cum omnium primum de prouinciis et exercitibus ad senatum rettulissent*, ubi item *consules* supplendum esse satis probabile uidetur.

31, 7, 3 *hoc quantum intersit, si numquam ante* (*ante* om. B) *alias, proximo certe bello experti estis.* Weissenbornius et H. J. Mueller adnotant, ad *numquam alias* addi quidem haud raro *ante*, sed omissam eam uocem esse 6, 42, 12 *cum dignam eam rem senatus censeret esse meritoque id, si quando umquam alias, deum immortalium fore, ut ludi maximi fierent*, 8, 6, 14 *si quando umquam seuero ullum imperio bellum administratum esset*, Cic. ad Att. 4, 2, 2 *si umquam in dicendo fuimus aliquid aut si numquam alias fuimus, tum profecto . .*; praeterea omissum est *ante* apud Liuium 8, 4, 6 *si quando umquam consociandi imperii tempus optastis*, 10, 14, 11 *si quando umquam equestri ope adiutam rem p. meminerint.* Multo saepius autem additum est *ante* uel *antea*: 1, 28, 4 *si umquam ante alias ullo in bello fuit, quod . . gratias*

ageretis, . . hesternum id proelium fuit; 2, 9, 5 *non umquam alias ante tantus terror senatum inuasit*; 2, 22, 7 *nunquam alias ante publice priuatimque Latinum nomen Romano imperio coniunctius fuit*; 9, 39, 5 *lege sacrata coacto exercitu cum uir uirum legisset, quantis numquam alias ante simul copiis simul animis dimicarunt*; 22, 58, 2 *Romanos quoque uocatos, quod numquam alias antea, satis miti sermone adloquitur*; 32, 5, 8 *bellum, si quando umquam ante alias, tum* (*cum* B Φ) *magna cura adparauit.*

31, 24, 2 *cum expeditis quinque milibus peditum* (*peditum* om. B) *et trecentis equitibus extemplo profectus cursu prope Chalcidem contendit.* Hertzius primus coll. 22, 16, 2 *successit Poenus cum expeditis equitibusque ad lacessendum hostem*, deinde Weissenbornius coll. 34, 28, 3 *Quinctium cum equitibus atque expeditis praegressum* omiserunt *peditum*, eosque ceteri nostrae aetatis editores secuti sunt. Sed prorsus similiter atque illo loco Liuius dixit 31, 16, 3 *ipse terra eodem cum expeditis duobus milibus peditum, equitibus ducentis pergit*; confer praeterea 37, 18, 8 *cum praesto fuissent equites peditumque expediti*; 30, 9, 1 *cum omni Romano et Numidico equitatu expeditisque militum*; 31, 40, 8 *Athenagoran cum expeditis peditibus ac maiore parte equitatus misit*; 28, 14, 16 *cum expeditis peditum equitumque*; 34, 26, 2 *misit expeditos pedites equitesque.*

31, 24, 12 *cohortatus milites, ut se intuentes pugnarent scirentque ibi signa ibi aciem esse debere, ubi rex esset, concitat in hostes* (*in hostes* om. B) *ecum non ira tantum sed etiam gloria elatus, quod . . conspici se pugnantem egregium ducebat. aliquantum ante aciem cum equitibus paucis euectus in medios hostis ingentem cum suis ardorem tum pauorem hostibus iniecit.* Nullam iustam uideo causam, cur uoces *in hostes* damnentur: nam *concitare in alqd* habes etiam 1, 28, 10 *duabus admotis quadrigis in currus earum distentum illigat Mettium, deinde in diuersum iter equi concitati*; 10, 28, 6 *quia lentior uidebatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat*; 22, 17, 6 *ut humana apparuit fraus, tum uero insidias rati esse cum maiore tumultu concitant se in fugam*; quod autem paulo post sequitur *in medios hostis*, ab eiusdem uocis uel dictionis repetitione non cauisse Liuium pridem obseruatum est.

31, 41, 14 *itaque primo impetu fusi uix temptato certamine turpi fuga repetunt castra; caesi captique quidam* (*quidam* om. B), *quos equites ab agmine fugientium*

interclusere. Weissenbornius adnotauit "*quos,* entweder *ii* oder *omnes*"; magis ex usu Liuiano est numeri, quot caesi captique sint, etsi non definita, significatio; nec multos tum interclusos esse, praecedentibus uerbis *uix temptato certamine* satis indicatur; eundem autem pronominis *quidam* usum uix opus est confirmare similibus exemplis 31, 37, 8 *multi comminus congressi multi fugientes interfecti, nec ferro tantum periere, sed in paludes quidam coniecti profundo limo cum ipsis equis hausti sunt*; 22, 21, 4 *aduersus eos tribunus militum cum expeditis auxiliis a Scipione missi leui certamine ut tumultuariam manum fudere, mille hominibus occisis, quibusdam captis magnaque parte armis exuta*; 28, 30, 2 *maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiam in fuga amissis.*

31, 43, 1 *Athenagoras regius praefectus Dardanos recipientes se in finis adeptus postremum agmen primo* (*primo* om. B) *turbauit; dein, postquam Dardani conuersis signis direxere aciem, aequa pugna iusto proelio erat. Primo,* quod satis ipsum se commendat, etiam suo loco positum esse apparet ex 24, 1, 6 *Bruttiis in conloquio nullius rei primo fides est; deinde, ut Poenus apparuit . ., consulturos se populum responderunt*; 35, 36, 2 *corporis custodes, cum in oculis res gereretur, pauor primo cepit; deinde, postquam abire Aetolorum agmen uidere, concurrunt*; 35, 1, 8 *turbauerant primo Romanos, deinde aequata paulisper pugna est.*

31, 18, 1 *ante deditionem ex iis legatis Romanis* (*Romanis* om. B), *qui Alexandream missi erant, M. Aemilius . . audita obsidione Abydenorum ad Philippum uenit.*

31, 3, 4 *ad quem cum M. Aurelius legatus uenisset edocuissetque eum, quantos exercitus quantum nauium numerum comparasset rex et* (*et* om. B) *quemadmodum circa omnis non continentis modo urbes sed etiam insulas partim ipse adeundo partim per legatos conciret homines ad arma: maiore conatu Romanis id capessendum bellum esse, cet.*

31, 30, 7 *circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes, semusta et* (*et* om. B) *truncata simulacra deum inter prostratos iacere postes templorum.* Maduigius, qui in uerborum contextu *et* omisit, in praefatione editionis adnotat "Recte fortasse codd. rec. *semusta et truncata*".

31, 19, 1 *legatis, qui in Africam missi erant, de Hamilcare, Gallici exercitus*

duce, responsum a Carthaginiensibus est, nihil ultra se facere posse, quam ut exilio eum multarent bonaque (*bonaque Φ bona* B) *eius publicarent.*

31, 31, 4 *eadem haec Cianos Abydenos Aenios Maronitas Thasios Parios Samios Larisenses Messenios hinc ex Achaia existimate queri, grauiora etiam* (*etiam* om. B) *acerbioraque eos, quibus nocendi maiorem facultatem habuit.*

31, 32, 1 *Damocritus . . nihil huic aut illi parti adsensus rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam quam celeritatem dixit: celerem enim paenitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi, cum praecipitata raptim consilia neque reuocari neque in integrum restitui possint. deliberationis autem* (*autem* om. B) *eius, cuius ipse maturitatem expectandam putaret, tempus ita iam nunc statui posse: cet.*

Eis igitur quos adhuc exscripsi locis uoces in B omissas ex Φ asciscendas esse puto; contra uel erroris uel fraudis suspicio magis minus uidetur iusta esse: 31, 31, 10 (*Campani*), *cum pro iis bellum aduersus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos foedere primum, deinde conubio atque inde* (*inde* om. B) *cognationibus, postremo ciuitate nobis coniunxissemus, tempore nostro aduerso primi omnium Italiae populorum . . ad Hannibalem defecere.* Weissenbornius et H. J. Mueller in contextu uerborum Liuianorum *inde* omittunt, in adnotatione taciti retinent. Si rem ipsam spectas, recte se habet *inde* et comprobandum est; sed quia *deinde* proxime praecedit, nascitur suspicio, ex hac ipsa propinquitate *inde* originem sumpsisse. — 31, 41, 11 (*Philippum*) *cum adesse refugientes ex agris quidam pauidi nuntiassent, trepidare Damocritus ceterique duces: et erat forte meridianum tempus, quo plerique graues cibo sopiti iacebant; excitare igitur* (*igitur* om. B) *alii alios, iubere arma capere, alios dimittere ad reuocandos, qui palati per agros praedabantur.* Hac quidem interpunctione admissa *igitur* fortasse seruare possis; eiecta ea uoce ita distinguunt: *trepidare Damocritus ceterique duces — et erat . . sopiti iacebant —, excitare alii alios.* — 32, 19, 4 *optimum igitur ratus est . . legatos ad gentem Achaeorum mitti pollicentis, si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis* (*iis* om. B) *contributuros in anticum gentis concilium.* Alibi Liuium aut *contribuere in aliquid* aut *contribuere alicui* dixisse apparet ex locis a Weissenbornio adscriptis 42, 37, 9 *nuper in Achaicum contributi concilium,* 26, 24, 15 *Oeniadas Nassumque Acarnanum captas Aetolis contribuit,*

33, 34, 8 *Phocenses Locrensesque, sicut ante fuerant, adiecta decreti auctoritate iis* (i. e. *Aetolis*) *contribuerunt*, 36, 35, 7 *Elei per se ipsi quam per Romanos maluerunt Achaico contribui concilio*, 38, 3, 9 *Epirotis Ambraciam placebat adgredi, quae tum contribuerat se Aetolis*; confer praeterea 39, 26, 2 *Xynias quidem, haud dubie Aetolicum oppidum, sibi contribuisse eos*, i. e. *Thessalos*; uix huc referri poterit 32, 33, 7 *Perinthum Byzantiis in antiqui formulam iuris restitui* coll. cum 26, 24, 6 *Acarnanas . . restituturum se in antiquam formulam iurisque ac dicionis eorum.*

Praepositio mihi uidetur in B intercidisse, a *Φ* seruata esse 31, 13, 4 *si in Punicum bellum pecunia data in Macedonicum quoque bellum uti res publica uellet, aliis ex aliis orientibus bellis quid aliud quam publicatam pro beneficio tamquam ob noxiam* (*ob noxam Φ noxiam* B) *suam pecuniam fore?* Edunt hodie ex Weissenbornii coniectura *tamquam noxia* ita, ut ad *noxia* quoque ex praecedentibus *pro* referatur. Sed cum etiam in B accusatiuus *noxiam* traditus sit, eo ueri similius est *ob* intercidisse, quia Liuius pariter dixit 7, 4, 5 *at quam ob noxam* et 28, 28, 15 *quam ob noxam patriae*, quibus locis simul *noxam* magis quam *noxiam* commendari uideatur. — Non aeque fidenter iudicauerim de 32, 18, 6 *Anticyra haud multum in* (*in* om. B) *oppugnando morae praebuit.* H. J. Mueller *in* omittens adnotauit "*oppugnando* ist entweder Dat. zu *morae praebuit* gehörig (s. 4, 53, 6 *se moram dilectui non facere*; *oppugnando* alsdann = 'der Einnahme infolge Belagerung'), oder Abl. = 'als man stürmte' = dem gewöhnlicheren *in oppugnando*; vgl. 9, 13, 2 *ne mora in concursu pilis emittendis stringendisque inde gladiis esset*; zu 3, 39, 7 *experirentur, quanto fortior dolor libertate sua uindicanda quam cupiditas iniusta dominatione esset*", ubi Weissenbornius adnotat "*libertate s. u.*, der blosse Abl. ist oft wenig von *in* m. d. Abl. verschieden, giebt aber mehr die Veranlassung, *in* die Umstände und Zeitverhältnisse an". Quodsi utrumque usitatum est, adiecta autem praepositio usitatior, haud scio an *in oppugnando* praeferendum sit.

Ex contrario praepositiones, quas B praebet, cum *Φ* tollendas esse existimo: 31, 21, 15 *repente cum* [*in* B, om. *Φ*] *omni parte caede ingenti sternerentur, Galli terga uerterunt fugaque effusa repetunt castra.* In prolegomenis ad Liui libros XXVI—XXX p. 97 magno exemplorum numero congesto aut *omni parte* aut *ab omni parte*

dicere scriptorem demonstraui et 31, 21, 15, cum *in omni parte* nusquam alibi inueniatur, cum codicibus recentioribus *in* omittendum esse conclusi. — 32, 20, 5 *si non cura salutis communis, ne studia quidem, quae in hanc aut* [*in* B, om. *Φ*] *illam partem animos uestros inclinarunt, uocem cuiquam possunt exprimere?* Non auderem *in* secundo loco positum in dubitationem uocare, nisi praeter *Φ* etiam Froben. 1535 eam uocem omisisset; confer 34, 46, 12 *nec ante in hanc aut illam partem moueri acies potuerunt*; 35, 28, 3 *quid, si ab latere hoc aut illo, quid, si ab tergo adoreretur, capiendum consili foret.* — 32, 13, 13, *Xyniae simili metu a cultoribus desertae sunt. hoc sedibus suis extorre agmen in praesidium incidit, quod ad Thaumacum, quo tutior frumentatio esset, ducebatur; incondita inermisque multitudo, mixta* [*ex* B, om. *Φ*] *inbelli turba, ab armatis caesa est.* Maur. Mueller progr. Stendal. 1866 p. 11 *mixta et inbelli turba* commendauit, quod Weissenbornius et H. J. Mueller receperunt; Maduigius maluit *ex* omittere, cui equidem assentiar. — Inter omnes constat praue in B *in* tradi 32, 21, 18 *defuncti bello Punico Romani . . non* [*in* B, om. *Φ*] *praesidium Aetolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedoniae intulerunt.*

Verba composita in *Φ* rectius traduntur quam in B simplicia: 32, 1, 14 *haruspices in senatum uocati atque ex responso eorum supplicatio populo in diem unum edicta* (*edicta Φ dicta* B) *et ad omnia puluinaria res diuinae factae.* Pro *edicta* praeter Hertzium malunt hodie ex Weissenbornii coniectura *indicta* edere, et sane *supplicatio* (uel *obsecratio*) *indicta* apud Liuium longe usitatissimum est; sed illud *edicta* defenditur his locis: 22, 10, 8 *uotis rite nuncupatis supplicatio edicta*; 27, 51, 8 *eam supplicationem C. Hostilius praetor pro contione edixit*; 36, 2, 5 *supplicatio inde ab duobus consulibus edicta per biduum fuit*; 40, 37, 3 *decemuiri supplicationem in biduum ualetudinis causa in urbe et per omnia fora conciliabulaque edixerunt*; 45, 16, 6 *ob id maxime decemuiri libros adire iussi supplicationem in diem unum populo edixerunt*; immerito igitur illo loco *edicta* spernitur et *indicta* substituitur. — 31, 43, 4 *minuit deinde ei forte oblata res hostium Aetolorum numerum. Scopas, princeps gentis, ab Alexandrea magno cum pondere auri ab rege Ptolomaeo missus, sex milia peditum et quingentos equites mercede conductos Aegyptum auexit* (*auexit Φ uexit* B). Quoniam non in eo res uertebatur, quod in Aegyptum uecti sunt Aetoli, sed quod ex Aetolia sunt auecti, uerbum

compositum praestare existimo. — 32, 18, 8 *refugiendo in uicem insequendoque* (*insequendoque* Φ *sequendoque* B) *et leuibus sine effectu certaminibus eo neglegentiae et contemptus adduxerunt.* Videri potest *in* ex praecedenti dictione *in uicem* praue repetitum esse, sed confer 31, 35, 3 *ut equites in uicem insequentes refugientesque nunc telis uterentur nunc terga darent*; 31, 37, 5 *quodsi modum in insequendo habuissent.*

Quoniam de eis uocibus exposui, quae ex Φ recipiendae mihi uidentur, restat ut paucas eas commemorem, quae spuriae et superuacaneae in Φ traduntur: 31, 2, 3 [*an*]*nuntiarent*; 31, 9, 5 *quinum milium* [*quinquaginta*]; 31, 29, 13 *esset* [*et*] *nihil*; 31, 35, 5 *emissis* [*in*] *hostis*; 31, 40, 6 *loca* [*iam*] *pacata,* praeter B enim etiam Froben. 1535 *iam* omisit; 31, 49, 10 [*uirtus*] *rerum . . uideretur* uel [*uirtutes*] *rerum . . uideret*; 32, 8, 16 [*et*] *senatui*; 32, 21, 25 *quo* [*cum*] uel *quod* [*cum*]; 32, 32, 4 *imperantis* [*consulis*] pro *imperatoris.*

Ex ceteris codicis Φ a B discrepantiis paucissimas praestantiores duxerim eis scripturis, quae nunc edi solent. Complures quidem inueniuntur, quae aeque bonae atque eae, quas B praebet, esse uideantur aut certe non prauae ac peruersae, uelut 31, 3, 1 *ac sociorum querelis* B *sociorumque querelis* Φ; 31, 3, 6 *senatuique* B *et senatui* Φ; 31, 5, 7 *peractam: perfectam*; 31, 7, 2 *hostes: hostem*; 31, 17, 9 *iurat: iurare*; 31, 21, 15 *uerterunt: uertunt*; 31, 28, 1 et 2 *Longari, Longarus: Langari, Lungarus,* cf. Drakenb.; 31, 29, 1 *statu die: statuta die*; 31, 46, 10 *Romanus: Romani*; 31, 49, 11 *adferret: referret*; 32, 11, 8 *antea: ante*; 32, 11, 9 *sumeret: sumere,* quod Gronouius postulauit; 32, 17, 9 *oppugnandae: expugnandae,* quod Madnigius recepit; 32, 21, 34 *spernenda: aspernanda*; 32, 23, 7 *concurrerent: concurrissent*; 32, 23, 12 *uidet: uidit*; 32, 25, 9 *pactus a Philocle: pactus cum Philocle*; 32, 25, 11 *urbes: ciuitates*; 32, 27, 1 *egere: egerunt.* Sed quoniam Φ aperte deterior atque corruptior est quam B, eiusmodi locis dubiis codicis B scriptura tenenda erit. A Φ standum puto 32, 21, 30 *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id, quod optandum uobis ac summa ope petendum* (*summa ope petendum* Φ *summa repetendum* B) *erat, fastidire.* Goeller primus p. 380 e codicis Bambergensis scriptura apertum esse legi debere *summo opere petendum* asseuerauit, Bekker deinde edidit *summopere petendum* idque praeter Kreyssigium p. 175 et Hertzium posteriores comprobarunt.

Sed nec interpolare quemquam ex *summa repetendum* uel simili mendo *summa ope petendum* potuisse ueri simile est, et illud *summa* in Bambergensi quoque seruatum magis *summa ope* quam *summopere* commendat; nam P et R maiusculo et unciali charactere exaratas frequenter in codicibus inter se permutatas esse Gu. Heraeus quaest. crit. Liv. p. 114 exemplis confirmauit: in ipso B paulo ante 32, 21, 17 *orem* pro *opem* scriptum est. Accedit quod *summopere* nusquam alibi ut uidetur apud Liuium inuenitur, *summa ope* satis saepe: 22, 15, 2 *ut Hannibal destitutus ab spe summa ope petiti certaminis iam hibernis locum circumspectaret*, ubi cum P *summa oppetiti* tradat, Gronouius item *summopere* coniecit, Alschefskius uerum restituit: 27, 46, 8 *Nero non suadere modo sed summa ope orare institit*; 4, 50, 7 *tendebantque summa ope, ut consules crearentur*; 38, 45, 2 *Cn. Manlium summa ope tetendisse, ut eam pacem turbaret*; itemque 1, 23, 1 et 1, 30, 8 *parare bellum*, 30, 7, 4 *reparare bellum*, 1, 56, 11 *tacere*, 2, 2, 5 *tueri*, 3, 35, 2 *impugnare*, 5, 26, 1 *euincere*, 22, 34, 2 et 24, 4, 3 *obstare*, 23, 7, 4 *resistere*, 26, 15, 10 *adproperare*. — Maduigius H. J. Mueller Maur. Mueller consentiunt *que* in B praue pro *ue* positum esse 31, 24, 18 *dirutaque non tecta solum sed etiam sepulcra, nec diuini humaniue* (*humaniue Φ humanique* B) *iuris quidquam prae impotenti ira est seruatum*. Idem factum esse Maduigio adstipulor 31, 44, 4 *plebesque sciuit, ut Philippi statuae .. item maiorum eius uirile ac muliebre secus omnium tollerentur delerenturque, diesque fasti, sacra, sacerdotes, quae ipsius maiorumue* (*maiorumue Φ maiorumque* B) *eius honoris causa instituta essent, omnia profanarentur*. Contra habet dubitationem 31, 32, 3 *cum legibus cautum esset, ne de pace belloque* (*belloque* B *belloue Φ*) *nisi in Panaetolico et Pylaico concilio ageretur, decernerent extemplo*; sequitur enim *ut praetor sine fraude, cum de bello et pace agere uelit, aduocet concilium*.

In uerborum ordine B et Φ identidem inter se discrepant: 31, 7, 2 *michi uidemini* B *uidemini mihi Φ*, 31, 17, 5 *infantes etiam* B et Froben. 1535 *etiam infantes Φ*, 31, 41, 10 *in agro hostium: in hostium agro*, 31, 42, 9 *prima luce: luce prima*, 32, 9, 4 *in prouincias profecti: profecti in prouincias*, 32, 18, 6 *morae praebuit: praebuit morae*, 32, 19, 6 *est iis: iis est*, 32, 21, 12 *oratio Cleomedontis* etiam Froben. 1535: *Cleomedontis oratio*, 32, 24, 7 *inermes abire: abire inermes*, 32, 30, 7 *sublatis signis: signis sublatis*, 32, 32, 6 *regi concessum: concessum regi*, 32, 33, 12 *haberent imperium: imperium haberent*,

32, 38, 7 *inter primum tumultum: tumultum inter primum* praue; praestare quod in *Φ* traditur hoc uno loco uidetur 31, 42, 1 *Philippus suis iam* (*suis iam Φ iam suis* B) *uallo adpropinquantibus receptui cani iussit*, *fatigatos enim equos uirosque non tam proelio quam itineris simul longitudine simul praepropera celeritate habebat.*

Collatio codicis Bambergensis denuo instituta nihil suppeditauit, quod alicuius momenti sit; digna quae commemorentur haec esse uideantur: 31, 1, 3 *tres* scriptum est, non ut Bessler testatus esse dicitur *tris*; 31, 5, 7 in *Valerii Aureliique* genetiuis *i* secundo loco positae postea demum a B^1 altera in uersu inserta altera super uersum addita est, et cum optimus codex ex *Φ* ductus *Valeri Aureliique* praebeat, rectius *Valeri Aurelique* edetur; 31, 8, 9 *M. Valerio Faltoni .. prorogatum in annum imperium est, uti propraetor in Sardiniam traiceret* B non *propraetor* habet sed *pro pr̄.*, ut rectius *pro praetore* scribatur; 31, 14, 2 *Corneli* iam Kreyssigius enotauit; 31, 25, 2 non *Megaram* tradit B, sed *Megara* B^1 Megarā B^2; 31, 30, 4 iam B^1 *diis* scripserat, sed quia atramentum diffluxerat, B^2 *iis* superscripsit; 31, 49, 7 *C. Cornelius Cethegus qui proconsul Hispaniam optinebat* in B est *procos*, ut etiam *pro consule* scribere liceat. — 32, 2, 6 quia ad hanc Drakenborchii lectionem *earum rerum causa tresuiros creare L. Cornelius consul iussus* Kreyssigius nihil adnotauit, ipsis litteris *tresuiros* in B exaratum esse putandum erat; scriptum autem per notam est ·*III*· *uiros*; pariter ·*III*· *uiri* in B scriptum est 32, 29, 4 ubi edi solet *triumuiri deducendis iis* i. e. *coloniis*, 34, 53, 2 *his deducendis triumuiri* (·*IIII*· *uiri* B) *creati*, 35, 9, 7 *coloniam Latinam in castrum Frentinum triumuiri* (·*III*· *uiri* B) *deduxerunt*, 32, 26, 17 *triumuiri* (*III*· *uiri* B) *carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere iussi*: his locis omnibus eandem rationem sequendam esse apparet. Editur porro 33, 42, 1 *eo primum anno tresuiri* (*III uiri* ex *IIII uiri* B) *epulones facti . . . iis triumuiris* (·*III*· *uiris* B) *item ut pontificibus lege datum est togae praetextae habendae ius*, 34, 45, 2 *deduxere triumuiri* (ita B), 3 *alii triumuiri* (ita B), 5 *triumuiri* (·*III*· *uiri* B) *Cn. Octauius L. Aemilius Paulus C. Laetorius . . deduxerunt.* Iis partibus, quibus B non seruatus est, editur 39, 44, 10 *diuiserunt agrum coloniasque deduxerunt iidem tresuiri*, 40, 29, 2 (*coloniam Grauiscae*) *tresuiri deduxerunt*, 40, 34, 3 *tresuiri deduxerunt.*

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae perendie ad virum nobilissimum et humanissimum

D. ELIAM STEINMEYER

LITTERARUM GERMANICARUM PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM
ORDINIS S. MICHAELIS QUARTAE CLASSIS EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, procuratoris regni Bavarici **Luitpoldi** principis regii celsissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die II mensis Novembris a. MDCCCLXXXIX.